

D. MICHAELIS ANGELI

MONSACRATI

ABBATIS EX ORD. CANONIC. REGULARIUM S. SALVATORIS

DE

CATENIS

S. PETRI

DISSERTATIO

AD

BENEDICTUM XIV.

P. O. M.









ROMÆ MDCCL.

IN TYPOGRAPHIA S. MICHAELIS AD RIPAM TIBERIS

EXCUDEBAT OCTAVIUS PUCCINELLI.

SUPERIORUM FACULTATE.

BENEDICTO XIV.
PONTIFICI MAXIMO
PRINCIPI OPTIMO

D. MICHAEL ANGELUS ABBAS MONSACRATI

FELICITATEM.



ON *eram nescius*, BENEDICTE PONTIFEX MAXIME, *cum in hoc Commentario de* Catenis S. Petri *ex monumentis Veterum Scriptorum multa colligerem, pleraque illustrarem, latinisque literis commendarem, fore, ut hic meus la-*

bor in varias reprehensiones incurreret. Nam quidam sunt, & ii fortasse non indocti, sed pravis de nostra Religione opinionibus imbuti, qui, Sanctarum quidquid est Reliquiarum, *totum hoc irrident, atque contemnunt. Alii autem de Catholica fide recte sentientes, non id quidem omne reprehendunt, sed in singulis pertractandis tantum studium, tamque multam operam ponendam non arbitrantur: quæ immensi temporis caligine obvoluta lucem ferre vix possunt, ea defendenda silentio, & tenebris; neque committendum, ut, dum nimis diligenter in antiquitatem inquiras, id invenias, quod probare nunquam possis. Neque deerunt propterea, qui Libellum hunc, propter argumenti sive tenuitatem, sive obscuritatem, minus dignum censeant, qui Tuo Augusto Nomine inscriptus, in manus hominum emittatur. Contra quos omnes dicendum quam brevissime existimavi; quamquam Sanctarum quidem irrisoribus Reliquiarum satis responsum est Ecclesiæ auctoritate, quæ hujusmodi in rebus valere una plurimum debet; præsertim cum, illi suam ut opinionem vel errorem potius abiiciant, optandum magis, quam sperandum sit. Qui autem, si minime hoc irrident, remissius tamen in quasdam* Reliquias, *atque adeo in* Catenas S. Petri *inquirendum putant, veriti, ne majores huic rei tenebræ*

of-

offundantur, quam illustrandam suscepimus; ii quidem amice monendi, rogandique, ut de re incognita ne ante judicent, quam illa omnia videant, conferant, examinent, quæ in hoc Commentario, sin minus eleganter, at diligenter sane, afferre studuimus. At non monendi solum, sed reprehendendi videntur esse, si quam temperantiam in investigandis sacris monumentis postulant, ipsi nullam adhibeant in prophanæ studiis Antiquitatis persequendis, nobisque inepta quædam quotidie obtrudant, quæ cum legeris, nihilo doctior ac sapientior fias; quasi vero majore in laude ponendus sit, qui fusius disputet de vetere quadam, sive exsculpta marmore, sive insculpta effigie Neronis, qui crudelissima morte Petrum affecit Principem Apostolorum, quam qui de Catenis *illis loquatur, quæ Christianis hominibus, tamquam Apostolicæ monumenta fortitudinis, ad religionis exemplum, & gloriam commonstrantur. Ego vero ita ab illis dissentio, ut, etsi prophanæ studia Antiquitatis non improbem, præsertim si haud intemperanter ad lucem Historiæ afferendam excolantur; tamen laudandos magis, magisque imitandos putem, qui in Ecclesiasticis Antiquitatibus sive investigandis, sive illustrandis cum fructu majore aliquo, & dignitate versantur. Nam quod verentur, ne nimia hæc diligentia obesse potius, quam prodesse possit; næ ii timidiores sunt, quam oporteat,*

teat,

teat, & vero etiam deceat Christianum hominem, qui, bene institutus cum sit, etsi multa haud satis probanda deprehendet, nihil iccirco tamen de sanctissimæ Religionis vi, ac dignitate detractum intelliget. Tuæ autem Personæ, BENEDICTE PONTIFEX MAXIME, *Tuæque dignitatis esse hoc de* Catenis S. Petri *argumentum, si qui negant, ii scilicet ejusdem Petri Successorem optimum esse Te, minime animadvertunt, ut, quicquid de Apostolorum Principe scribitur, alteri nemini, præterquam Tibi uni inscribi certe non debeat. Illud potius verebar, ne argumenti gravitati quidpiam hac ingenii mei mediocritate detraheretur; dolebamque Commentarium hunc, sin minus propter rem ipsam, at certe propter explanationem rei rudem, atque impolitam, Tua maxima doctrina, exquisitoque judicio dignum videri nunquam posse. At quis ignorat, qui vere docti sunt, eosdem singulari humanitate præditos, atque ornatos esse? ut minime pertimescendum sit, quin conatum hunc meum perbenigne, ac comiter excipias. Quod si ad incredibilem istam humanitatem, ac benevolentiam accedat judicium Tuum, ut probes ea, quæ literis consigno, ut faveas industriæ, ut optime esse Te animatum erga mea hæc studia significes; ego me, quæ summa sunt, omnia consecutum existimabo.*

AP-

D O M N U S

BARTHOLOMÆUS RASPONI

R A V E N N A S

Canonicorum Regularium Congregationis S. Salvatoris, Ordinis S. Augustini, Abbas Generalis.

QUum Dissertationem *de Catenis S. Petri* à Reverendissimo D. Michaele Angelo Monsacrati Congregationis nostræ Abbate conscriptam, duo ejusdem Congregationis Theologi recognoverint, & edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia has Literas manu nostra subscriptas, & Sigillo nostro munitas dedimus. Ravennæ sexto Idus Augusti MDCCL.

D. Bartholomæus Rasponi Abbas Generalis, &c.

Reg. fogl. 64.

Loco ✠ Sigilli

D. Thomas Rita Cancellarius,
& Sacræ Theologiæ Lector Emeritus.

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Mag. Sacr. Pal. Apost.

F. M. Archiepis. Tarsi Vicesg.

MAndante Reverendissimo P. F. Josepho Augustino Orsi Sac. Pal. Apost. Magistro, Dissertationem legi *de Catenis S. Petri*, à Rmo P. D. Michaele Angelo Monsacrati in Ordine Canonicorum S. Salvatoris Abbate conscriptam. Eamque, ut erat ex perdocto eruditoque Auctore expectandum, tanta argumentorum gravitate, ordinisque & sermonis elegantia munitam inveni ornatamque; ut nihil in ea censeam non publica luce & commendatione dignissimum, atque ad Sacrorum Vinculorum confirmandam, piis quidem religionem, morosis vero veritatem, non maxime accommodatum.

F. Pius Thomas Schiara Ord. Præd. Casanatensi Bibliothecæ Præfectus.

D*Issertationem de Catenis S. Petri* à Rmo Patre D. Michaele Monsacrati, Cive meo, ex Ordine Canonicorum S. Salvatoris Abbate, Viro Ecclesiasticarum rerum imprimis perito, accurate dilucideque conscriptam, cum ex mandato Rmi Patris Magistri S. Palatii attente perlegerim, sic existimo: eam quidem dignissimam esse, quæ in lucem emittatur; propterea quod non modò nihil a Catholica Fide alienum continet, sed Christianorum hominum Religioni erga illa Apostolici monumenta triumphi excitandæ magnopere est accommodata. Datum Romæ decimo Kal. Augusti MDCCL.

Philippus Bonamicus S. T. D. & SS. D. N. Brevium ad Princip. Substitutus.

JUssu Reverendissimi P. Sacri Palatii Apostolici Magistri F. Josephi Augustini Orsi legi Dissertationem *de Catenis S. Petri &c.* Auctore Viro Clarissimo D. Michaele Angelo Monsacrati Abbate Canonicorum Regularium Sanctissimi Salvatoris. Tantum abest, ut in ea vel quid minimum Fidei Catholicæ, aut bonis moribus dissonum deprehenderim, ut in ipsa potius, & summa eruditio, & vera pietas, & argumenta solida ad vindicanda ab hæreticorum calumniis Vincula Principis Apostolorum conspiciantur. Dignam itaque eam censeo, ut ad augendum magis magisque religiosum cultum, quem nostrorum Majorum pietas Vinculis ipsis exhibuit, atque ad coercendam pseudocriticorum proterviam, quam ocyssime typis mandetur.

Datum Romæ in Domo Oratorii S. Hieronymi Charitatis XV. Kalendas Augusti Anno Jubilei MDCCL.

Josephus Catalanus ejusdem Oratorii Presbyter

IMPRIMATUR.

Fr. Josephus Augustinus Orsi Ord. Prædic. S. P. A. Mag.

PRÆFATIO



Tsi in hac Urbe omnium sanctissima permulta sunt Apostolorum, ac Martyrum monumenta, quæ vetustatis, religionisque fama celebrantur; tamen, haud scio, an ullum majore sit vel antiquitate, vel religione præditum, quam Catenæ illæ, quæ injectæ Petro Apostolorum Principi fuerunt, cum Christianæ fidei causa, & Hierosolymis, (quod S. Lucas (*a*) tradit), & Romæ, (quod veteres Scriptores (*b*) testantur) in carcerem detrusus fuit, quæque nostra in Æde S. Petri ad Vincula multis jam sæculis extant, Apostolicæ argumenta fortitudinis, ad memoriam, atque exemplum posterorum. Nam Catenas hasce, qua pietatis, honorisque significatione prosequerentur Christiani veteres, satis ostendunt & sermones, quos ad earum laudem Ecclesiasticarum rerum tractatores (*c*) ediderunt; & Basilica, ubi honorifice asservarentur exædificata, quæ ab illis Petri ad Vincula nomen accepit; & festus Vinculorum dies, qui dies apud Latinos Kalendis Augusti agitur, apud Græcos autem XVII. Kal. Febr.; & communis, qui jam pridem apud Christianos invaluit usus, eo die Catenas religionis causa osculandi; & Romanorum Pontificum auctoritas, a quibus Catenarum ramenta ad Reges, ac Principes viros de Apostolica Sede optime meritos, magni loco muneris jam diu mittuntur. Neque enim alia seu Martyrum, seu Apostolorum monimenta tanto apud veteres in honore habita fuisse novimus. Nostra hac ætate, licet è Christianorum animis non exciderit tanta erga Petri Catenas religio, mirum tamen est, studiosos sacrarum Antiquitatum cultores, qui minoris pretii monumenta observationibus suis illustranda susceperunt, minus hac in re diligentes fuisse, neque de hujusmodi Catenis accuratam aliquam narrationem instituisse. Quod me quidem facere conantem nemo, ut arbitror, reprehendet, quasi intemperanter abutar otio, & literis; præsertim si secum

A ani-

(*a*) In Actis Apostol. cap. 12., ubi postquam retulit S. Petrum, jubente Herode Agrippa, Hierosolymis in carcerem fuisse conjectum, ℣. 6. ait, quod *erat vinctus catenis duabus*.

(*b*) Ita Gregorius Magnus lib. 7. Epist. 28. pag. 874. lib. 8. Epist. 35. pag. 924. & lib. 9. Epist. 122. pag. 1031., Auctor Serm. CCHI. in Append. Augustin. n. 3. pag. 338. Auctor Serm. de Vinculis S. Petri in Homiliario Alcuini pag. 881. edit. Colon. 1576., Auctor Epist. ad Eustochium inter Opera Hieronym. pag. 202. t. V. edit. Martianæi, aliique; quibus sane habenda fides, cum mos fuerit veterum carceribus inclusis catenas inijcere, ut constat ex Manilio lib. V. Astronom. ℣. 18. pag. 131. edit. Heidelbergæ ann. 1590., Seneca Epist. 5., Josepho lib. 18. antiquitat. cap. 13., Tacito lib. 4. Annal. cap. 28. & lib. 4. Histor. cap. 13., Dione Chrysostomo orat. 79. de Libertate pag. 668., Svetonio Vit. Jul. Cæsar. cap. 4., Neron. cap. 36 & Domitian. cap. 14., Arriano lib. 1. de Epicteti disputat. cap. 1., Athenæo lib. 5. cap. XL. pag. 213. edit. Lugd. 1612., & S. Clemente Epist. 1. ad Corinth. n. 5. pag. 148. t. 1. Patr. Apostolic. Coteler. Videantur Justus Lipsius Comment. ad Libr. 3. Taciti n. 41. pag. 73. edit. Antuerp. 1600., Brissonius de Formulis lib. 5. pag. 527. edit. Parif. 1583., Kippingius lib. 2. Antiquit. Romanar. cap. 7. §. 13. pag 399. edit. Lugduni Batav. 1713., & Samuel Pitiscus in Lexico Antiquit. Roman. verbo *Custodia*.

(*c*) Apud Lipomanum part. 2. de Vitis Sanct. pag. 329. extat sermo Græci cujusdam auctoris de Vinculis S. Petri, quem etiam edidit Surius ad diem 1. Augusti. Alius incerti pariter Auctoris sermo de iisdem Vinculis est in Homiliario Alcuini pag. 879., quem in suis Bibliothecis Concionatoriis referunt Cumelius t. 4. pag. 546., & Combefisius t. 7. pag. 433. inter opera Bedæ edit. Basileæ ann. 1563. t. 7. pag. 501. alius similis occurrit sermo. Quin & Petrus Blesensis sermonem de Vinculis S. Petri habuit, qui ordine est 31., & extat tom. XXIV. Bibl. Patr. pag. 1109.

animo repetat, hac ætate plerosque studiosorum diligenter nimis, ne dicam inepte, vestigia quæque Romanæ Antiquitatis consectari, colligere, illustrare, quæ sane ad nostros mores informandos nihil pertinent. At quis est, modo sensum aliquem Christianæ pietatis habeat, quem harum Catenarum conspectus non illud admoneat, ut quam Apostoli fortitudinem cum admiratione quadam recordatur, eam imitandam suscipiat? Res igitur hæc, aut ab aliis neglecta, aut minus diligenter tractata, erat aliquando in lucem proferenda, & vindicanda a tenebris, in quas Romanæ Religionis hostes; præsertim vero Joannes Calvinus, & deinde Samuel Basnagius coniicere conati sunt, frustra tamen, magna tot documentorum auctoritate reclamante. Atque alter quidem in Admonitione de Reliquiis (*a*) hoc suis Lectoribus cogitandum relinquit, unde acceptæ sint Catenæ istæ, ut ex ipsis fierent reliquiæ: alter vero in Annalibus Ecclesiasticis (*b*), Exercitationibusque Historicis (*c*) nos accusat, quod tanto honore Catenas hasce prosequamur, quibus utrum Apostolus Petrus, an facinorosus aliquis devinctus fuerit, haud satis constat. Quibus hoc idem responsum volumus, iccirco apud nos tanto in honore haberi Catenas istas, propterea quod Petro in suo Martyrio, vel triumpho potius, non scelesto cuiquam injectas fuisse constat. Constare autem ita, ut nemini ullus dubitandi locus relinquatur, nisi si quis de rebus omnibus dubitare velit, commonstrabo hac scriptione mea, quam, ut distincte, ordinateque explicarem divisi in partes septem. Prima conficiam priscos Ecclesiæ fideles illas Catenas, quibus Petrus devinctus est Romæ, atque Hierosolymis diligenter, veluti Apostolicæ trophæa virtutis servasse, & propterea quinto usque Ecclesiæ sæculo in hac D. Petri ad Vincula sacra æde fuisse. In secunda, & tertia diligenter inquiram, quo plane tempore in honorem Catenarum Templum ad Vincula exædificatum sit: a quo, & quando Hierosolymitanæ Petri Catenæ Romam delatæ, & una cum Romanis in eo positæ. Tractabitur quarto loco de Institutione diei festi ad Vincula, qui Kalendis Augusti agitur. Quinto agam de miraculis, quæ a Deo per has Catenas facta perhibentur. In sexto sermo mihi erit de annulis, & ramentis, quæ ex his Catenis desecta vel ad viros Principes missa sunt, vel in aliis Ecclesiis adhuc servantur. Septima pars denique declarabit, quarum Catenarum censeri debeant annuli illi, qui modo in nostra Basilica supersunt, an earum, quibus Petrus vinctus est Romæ, an earum, quibus vinctus est Hierosolymis, an utrarumque simul; atque ita totam hanc tractationem absolvam. Quod si forte vel rei dignitati, vel eruditorum hominum expectationi noster hic minus responderit labor, me certe juvabit & veritati, & eorum studiis, qui hoc scriptionis genus a me postularunt, quantum in me erat, consultum voluisse.

DE

(*a*) Pag. 212. t. 8. Oper. edit. Amstelodam. ann. 1667.
(*b*) Ad an. 44. n. 14. pag. 544. t. 1.
(*c*) Exercitat. IX. pag. 452. & 454. Ultrajecti 1692.

DE CATENIS S. PETRI
DISSERTATIO.

§. I.

Romana, & Hierosolymitana Petri Vincula à Christi Fidelibus servata, eaque Romæ V. Ecclesiæ Sæculo sine ulla dubitatione in honore habita.

I. FUit hoc in more positum, institutoque veterum Christi fidelium, ut non solum in colligendis, servandisque instrumentis, quibus Apostoli, & Christi Martyres ultimo afficiebantur supplicio, curam adhiberent (*a*): verum de coemendis etiam à satellitibus, & quoquomodo comparandis Catenis illis, quæ iisdem injectæ fuerant, piè certe, diligenterque cogitarent. Luculentum hujus rei argumentum & in Catenis illis habemus, quas in Cœmeteriis Urbis Romæ una cum Martyrum corporibus fuisse inventas testis est Boldettus (*b*),& in illis, quæ olim in Ecclesiis, atque etiam nunc publicæ Christianórum venerationi proponuntur. Sane Chrysostomus homilia VIII. in epistolam ad Ephesios (*c*) auctor nobis est, Catenas S. Pauli ipsius ævo apud Christi fideles in maximo honore fuisse. Alibi (*d*) quoque loquens de S. Babyla Episcopo Antiocheno & Martyre testatur, sacrum illius corpus à Christianis una cum Catenis fuisse sepultum, quibus in carcere fuerat vinctus, easque sua adhuc ætate una cum sacris Martyris cineribus in honore habitas. Quid? quod Eusebius Emissenus homilia in Sanctos Martyres Epipodium & Alexandrum (*e*) affirmat, plurimas Ecclesias, quibus concessum non fuerat aliquas corporum istorum Martyrum vel particulas consequi, id

(*a*) Qui de hac se certior fieri vult legat Gregorium Nazianzenum Carmin. 18. pag. 216. t. 2., Ambrosium in Exhortat. Virginit. cap. 2. n. 9., Prudentium hymn. V. Peristephan. ℣. 553. t. 8. Bibl. Patrum, Augustinum serm. 323. n. 2., Leonem Magnum serm. 83. cap. 4. pag. 168. edit. Quesnellii, Bosium lib. I. Romæ Subterran. cap. 20. pag. 21., Ferrandum lib. I. Disquisit. Reliquiar. cap. 4. pag. 168. & 169., Boldettum lib. I. Observat. in Cœmeter. Martyrum cap. 60. pag. 314. & 315., & Trombellium de Cultu Sanct. Dissertat. VII. cap. 2. n. 8. pag. 15. parte I. tom. 2.

(*b*) Osservazioni sopra i Cimiteri de Martiri lib. 1. cap. 60. pag. 314.

(*c*) N. 1. pag. 53. t. XI. ubi hæc habet — *Vellem nunc esse in illis locis, in quibus dicuntur manere illa Vincula (S. Pauli), & videre . . . vellem videre Catenas, quas pertimescunt quidem, & horrent dæmones, reverentur autem Angeli.* & n. 2. pag. 54. *si ab Ecclesiasticis curis essem remotus, & esset mihi corpus sanum, ac validum, non recusarim hanc suscipere peregrinationem, ut solum viderem Catenas, ut carcerem in quo fuit vinctus.* Vide & homil. X. ejusdem in Epistol. ad Colos. n. 4. pag. 401. t. XI. edit. Montfauconii.

(*d*) In lib. de S. Babyla contra Julianum n. XI. pag. 554. t. 2., & hom. IX. in Epistol. ad Ephesios n. 2. pag. 70. t. XI.

(*e*) Pag. 648. t. VI. Biblioth. Patr. edit. Lugdunensis.

tamen vehementer flagitasse, ut Catenarum, quæ iisdem Martyribus injectæ fuerant, potirentur. Neapoli, teste Baronio (*a*), asservantur Catenæ S. Gregorii Episcopi Armeniæ, qui sub Diocletiano Martyr occubuit. Et Romæ in Basilica Lateranensi extat Catena (*b*), qua S. Joannes Evangelista Epheso Romam adductus fuit, de qua in veteri Inscriptione, quæ olim ibidem erat, hæc legebantur (*c*)

Jacet insuper abdita ritè
Ejusdem plena signorum sacra Catena.

Plura hujus curæ à Fidelibus adhibitæ in comparandis Martyrum Catenis proferre possemus exempla, quæ hic prætermittimus, quoniam singula persequi nostri non est instituti; hoc uno contenti, quod neque novum, neque incredibile cuiquam videri debet si curam aliquam à primis Christi Fidelibus fuisse adhibitam affirmemus ad conservandas Principis Apostolorum Catenas, & tradendas posteris, qui eas, qua par est, honoris significatione prosequerentur. Nam nec ita facile intelligitur, quomodo prisci Ecclesiæ fideles de acquirendis Martyrum Catenis fuissent soliciti, neglexissent vero Catenas Principis Apostolorum; præsertim cum illi, ut tradit S. Clemens in prima ad Corinthios Epistola (*d*), ingens electorum multitudo aggregata fuerit, inter quos fuisse neminem, cui vel de Hierosolymitanis Catenis, a quibus divinitus est solutus, vel de iis, quibus Romæ ad martyrium est ductus cura fuerit, prorsus incredibile videatur. Sed de conjecturis hactenus.

II. Habemus in Actis S. Alexandri Papæ, qui Martyr occubuit anno CXVI., aut proxime sequenti CXVII. (*e*), Romanas Petri Catenas à Fidelibus servatas, & à S. Balbina inventas, traditas fuisse Theodoræ S. Hermetis sorori; sic enim accepimus, ipsum Balbinæ osculanti Catenam, qua vinctus erat, dixisse (*f*) = *Desine banc bojam* (*g*) *osculari, sed potius require B. Petri Vincula, & ea osculare, & bojam meam osculari desine. Tunc data sibi opera cum studio ac desiderio magno pervenit ad illa S. Balbina, deditque ea Theodoræ illustrissimæ feminæ sorori S. Hermetis* = quæ quidem verba sicut rem innuunt inventu facilem, sic non de aliis Catenis rectius intelliguntur, quam de iis, quibus Petrus vinctus est Romæ; ut propterea audiendus non sit Auctor Sermonis de Vinculis S. Petri, qui inter Opera Bedæ olim reperiebatur (*h*), qui hæc Actorum S. Alexan-

(*a*) In notis ad Martyrolog. Roman. die 30. Septembr. litt. E.

(*b*) Hujus Catenæ mentionem faciunt Tabularium Reliquiarum Basilicæ Lateranensis apud Rasponum lib. I. de Basilica Lateranen. cap. 10. pag. 48., Tabula magna Lateranensis apud Crescimbenium lib. 2. Histor S. Joannis ante Portam Latinam cap. 8. pag. 135., & Nicolaus Signorilis in Catalogo Reliquiarum Urbis Romæ Cod. Vatic. 3536. fol. 54.

(*c*) Inscriptionem integram exhibet Pennotint lib. 3. Histor. Tripartit. Ordinis Cannonicor. Regularium cap. 3. num. 3. pag. 559.

(*d*) N. 6. pag. 149. t. I. Patr. Apostolic. Cotelerii edit. ann. 1698.

(*e*) Hoc anno S. Alexandrum defunctum censent Henschenius in Apparat. ad Cronolog. Pontific. præfixo t. I. Act. SS. Mensis Aprilis pag. 21., & Blanchinius in Notis ad Vitam S. Alexandri pag. 80. t. 2. Anastasii Bibliothecar. Pagius tamen in Critica ad Ann. 116. n. 7., & ad an. 130. n. 2. anno 116. Tillemontius nota t. in Vit. S. Alexandri pag. 590. t. 2. anno 119. Baronius denique anno 132., ut in Annalibus ad eum annum n. I. videre est.

(*f*) Act. S. Alexandri cap. 3. n. 14. pag. 373. t. I. Actor. Sanct. Mensis Maii.

(*g*) *Boja* nomine *Catenam* intelligo sequutus Pomponium Festum de Verborum significatione pag. 44. edit. Paris. 1681., & Hieronymum in cap. 27 Ieremiæ pag. 654. t. 9. oper. Videantur Sagittarius de Martyr. Cruciat. cap. 2. n. 5. & 6. pag. 14., & Ducangius in Glossar. verbo *Boja*. (*h*) T. 7. pag. 592. edit. Basileæ an. 1563.

xandri verba de Catenis, quibus sub Herode Agrippa alligatus fuit Petrus, interpretatus, à Balbina Hierosolymis Catenas conquisitas existimavit. Scio equidem hæc S. Alexandri Acta à Pearsonio (*a*), Pagio (*b*), Bailleto (*c*), Tillemontio (*d*), Basnagio (*e*), Sollerio (*f*), aliisque eruditione præstantibus viris, tamquam falsa repudiari, nec ante VII. Sæculum edita existimari; sed cum Enschenius (*g*) eadem *sincerissima* appellet, & ob suam *antiquitatem veneranda* dicat, utpote ante persecutionem Decianam sæculo III. conscripta; alii verò cum Baronio (*h*), Schelestrate (*i*), Gardeboschio (*k*), & Blanchinio (*l*), licet fateantur quædam in illis menda irrepsisse, tamen legitima esse contendant, ac fide digna, & quarto saltem Ecclesiæ sæculo edita: nihil esse causæ video, quare hæc de inventis à Balbina Catenis narratio, tamquam anilium ineptiarum plena debeat existimari. Nam & nihil continet, quod illorum temporum disciplinæ non optime conveniat, & Ecclesiasticis Scriptoribus probatur, quos inter Ado (*m*), & Notkerus (*n*) præstant, qui in sua Martyrologia illam transtulerunt; quibus addendi Auctor Sermonis in Vincula S. Petri, qui in Homiliario Alcuini (*o*) extat, Petrus Blesensis (*p*), &, ut cæteros (*q*) prætermittam, Durandus (*r*); qui omnes, quidquid in istis S. Alexandri Actis scribitur de Romanis Petri Catenis a Balbina inventis, & ipsi narrant accurate.

III. Sed utcumque se habeat hæc de inventis a Balbina Catenis narratio; quam nec ego ut certam propono, sed solum tamquam probabilem; quod abunde tamen ostendit Romanas Petri Catenas à primis Ecclesiæ Fidelibus fuisse custoditas, & in honore habitas, illud est, quod, qui paulo post fuerunt Christiani homines illas penes se habuerunt, quod certe non contigisset, si primi illi nullam, ut D. Petri Catenas acquirerent, & custodirent, operam, diligentiam, curam adhibuissent. Injuriam enim facimus majoribus nostris, si eos ita aut rudes, aut indiligentes existimamus fuisse, ut Catenas illas nulla non honoris significatione colerent, quas Petri fuisse ignorarent. Nam Romæ sine dubio sexto Ecclesiæ sæculo illæ in honore erant, quod plane declarat Gregorius Magnus in Epistolis ad

---

(*a*) In Differtat. Posthum. Differtat. 2. cap. 7. n. 3. & sequent. pag. 229. & 230.
(*b*) In Critica ad ann. 67. n. 15.
(*c*) In Vita S. Alexandri Papæ ad diem 3. Maii pag. 146.
(*d*) Nota 2. in Vit. S. Alexandri Papæ pag. 590. t. 2.
(*e*) In Annalib. ad ann. 119. n. 4. pag. 44. t. 2.
(*f*) In Observat. ad Martyrolog. Usuardi sub die 3. Maii pag. 252. t. 6. Actor. SS. Iunii.
(*g*) In Commentar. prævio ad Acta S. Alexandri §. 2. n. 1. pag. 367. t. 1. Actor. Sanct. Mensis Maii.
(*h*) In Annalib. ad ann. 132. n. 1.
(*i*) Antiquit. Illustrat. t. 1. Differtat. 2. cap. 3. n. 12. pag. 165.
(*K*) Sæc. 2. Histor. Ecclesiast. part. 2. lib. 1. Differtat. 2. quæst. 2. pag. 108.
(*l*) In Notis ad vitam S. Alexandri Papæ pag. 82. t. 2. Anastas. Biblioth.
(*m*) In Martyrolog. ad diem 31. Martii pag. 141. edit. Cl. Georgii.
(*n*) In Martyrol. ad diem 31. Martii pag. 122. p. 2. tom. 2. Lection. Antiq. Canisii edit. Amstelod. 1725.
(*o*) Pag. 881.
(*p*) Serm. 32. pag. 1109. t. 24. Biblioth. Patrum.
(*q*) Petr. de Natalib. in Catalog. lib. 7. cap. 3., Legendarium M. S. sæc. decimiquinti Biblioth. Collegii S. Clementis Hispanorum Bononiæ fol. 151., Bonin. Mombrit. t. 2. Vit. SS. fol. 224., Breviarium Biblioth. Ottobonian. sæc. 15. Cod. 543., Florentin. Exercitat. XI. pag. 712., Papebroch. in Analect. de Reliq. SS. Apost. Petri, & Pauli §. IX. n. 106. pag. 449. t. V. Actor. Sanct. Junii, aliique.
(*r*) Lib. 7. Rational. Divin. Offic. cap. 19.

ad Andream illustrem (*a*), Theodorum Medicum (*b*), Leontium Exconsulem (*c*), & Recharedum Wisigothorum Regem (*d*) datis, in quibus loquens de Catenarum Petri fragmentis, quæ ad eos dono miserat, quæque non aliunde sane quam ex Catenis, quæ Romæ essent fuerant detracta, hæc habet = *Clavem à Sacratissimo* D. Petri *Corpore vobis transmisimus, in qua ferrum de Catenis ejus clausum est, ut quod illius collum ligavit ad martyrium, vestrum ab omnibus peccatis solvat*. Hic profecto de Romanis Catenis Gregorius loquitur, nam Romæ Petrus ad martyrium tractus est. Augustinus etiam, seu quisquis sit Auctor Sermonis olim XXIX. de Sanctis, nunc in Appendice CCIII. has easdem Catenas apud omnes Ecclesias ipsius ævo celebres fuisse commemorat inquiens (*e*): *Merito per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quanto magis Catena vincientis?* ut umbra, *inquam*, transeuntis Petri obumbraret eos. *Si inanis quædam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis, quanto plus de Corpore meruerunt adtrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis? si ad præsidia supplicantium tam potens fuit ante martyrium, quanto magis efficax post triumphum? Felices illi nexus, qui de manicis & compedibus in coronam mutandi, Apostolum contingentes martyrem reddiderunt. Felices Catenæ, quæ nudatis pene ossibus inhærentes, vivas reliquias de sanguinis sudore, jam adtrita carne rapuerunt .... Felicia Vincula, quæ reum suum usque ad Christi crucem non tam condemnatura, quam consecratura miserunt* = Quæ quidem antiqui Auctoris verba non de aliis Catenis sunt accipienda, quam de iis, quæ Romæ colebantur; nam Romanas Petri Catenas in hac nostra Basilica fuisse tradunt Auctor Sermonis in Vincula S. Petri, qui in Homiliario Alcuini legitur (*f*), Sigebertus (*g*), Vetus Lectionarium Monasterii S.Stephani Bononiæ (*h*), Auctor Historiæ de Catenis S. Petri, quam edidit Boninus Mombritius (*i*), Joannes Belethus, (*k*). Durandus (*l*), ac vetus Inscriptio (*m*), quam Martinellus in sua Roma, (*n*) & Cardinalis Thomasius in notis ad Capitulare Evangeliorum (*o*) referunt, & olim in

hac

(*a*) Lib. 1. Epist. 30. pag. 520. (*b*) Lib. 4. Epist. 28. pag. 874. (*c*) Lib. 8. Epist. 35. pag. 924.
(*d*) Lib. 9. Epist. 122. pag. 1031. (*e*) N. 5. pag. 338. (*f*) Pag. 281.
(*g*) In Chronico ad ann. 438. pag. 496. t. 1. Rer Germanic. Pistorii edit. Francofurti 1613.
(*h*) Fol. 72. col. 1. Scriptum fuit hoc Lectionarium anno 1180., ut in fine legitur.
(*i*) T. 2. Vit. Sanctor. fol. 224. (*k*) In Explicat. Divin. Officior. cap. 141. (*l*) Lib. 7. Rational. cap. 19.
(*m*) Inscriptio, quam præter Martinellum, & Cardinal. Tomasium referunt etiam auctor Libri de Mirabilibus Urbis Romæ impressi anno 1511., Pompejus Ugonius in Theatro Urbis Romæ fol. 202., quod M. S. extat in Biblioth. Barberina Cod. 1057. & Georgius in notis ad Martyrolog. Adonis ad diem 1. Augusti pag. 369. est hæc —

Hoc Domini Templum Petro fuit ante dicatum.
Tertius Antistes Sistus sacraverat olim.
Civili bello destructum post fuit ipsum.
Eudoxia quidem totum renovavit ibidem.
Pelagius rursus sacravit Papa Beatus.
Corpora Sanctorum condens ibi Machabæorum.
Apposuit Petri pretiosa ligamina ferri,
Illustris mulier, quæ detulit ab Hierusalem,
Et quibus est Petrus Neronis tempore vinctus.
Augusti Mensis celebrantur festa Calendis,
Quique huc accesserint lavantur crimina cuncta.

(*n*) Pag. 284.
(*o*) Pag. 118. antiq. Libr. Missar. edit. Romæ 1691.]

hac sacra Æde legebatur: ut propterea ab illis scissa fuerint ea Catenárum D.Petri fegmenta, quæ in aliis Ecclesiis, quod indicare videtur citatus Auctor, reperiebantur.

IV. Jam verò & Catenas illas, quibus D. Petrus Hierosolymis in custodia devinctus fuit, veteres Christianos comparasse, diligenterque servasse memoriæ prodidit Græcus Scriptor Sermonis de Vinculis S. Petri, quem ex Metaphraste primum edidit Lipomanus, postea vero Surius, & Combefisius; sic enim habet (*a*) *Quoniam vero multi ex iis, qui Petri Apostoli opera Christo crediderant, in Regia* Herodis *erant, atque illic vivebant, & Regis ipsius ministeria obeuntes, suam in Christum, & ejus Apostolum benevolentiam in animis occultam servabant, cum admirabili illo modo Apostoli Petri liberatio per Angeli præsentiam allata est, & Apostolus ipse per portam exiit, quæ ad Urbem ducebat, Catenas illas in carcere derelictas ipsi Herodis ministri, quibus Divinæ cognitionis lumen affulserat, clam sustulerunt, & apud seipsos, velut thesaurum quemdam, eas conservarunt. Quod vero a patre suo, ut dicitur traditum, & de Catenis illis narratum sibi quisque acceperat, posteris suis deinceps tradebat, & tuto in loco Catenas illas servabat*. Cui hic Sermo tribuendus sit, non satis constat; Metaphrastes illum Chrysostomo adscribit. Baronius (*b*) vel S. Proclo, vel S. Germano Constantinopolitanis Episcopis adscribendum censet. Alii (*c*), & quidem fortasse rectius ignoti Auctoris esse fatentur. Sed quicumque tandem sit, nec solus, nec primus Auctor iste fuit, qui Hierosolymitanas Petri Catenas à vetustis Christianis servatas assereret. Non primus, cum ex antiquioribus id se accepisse testetur, sic enim præfatus est = *Verus quidam Sermo, & in libris ipsis conscriptus ad nos usque pervenit* = postquæ statim ea, quæ jam recitavimus, subjungit. Non solus, nam Catenas istas, à primis Ecclesiæ Fidelibus fuisse custoditas, & ad posteros transmissas Grecæ, & Romanæ Ecclesiæ est fama consentiens. Græci enim, quod alias videbimus, unam ex his Catenis Constantinopoli habuerunt, cujus Festum diem agebant XVI. Januarii. Et Romæ pariter sexto Ecclesiæ sæculo in hac nostra Basilica, earumdem Catenarum non modica pars erat, quod ex Aratore Romanæ Ecclesiæ Subdiacono intelligimus, qui, cum versibus, duobus distinctis Libris, Actus Apostolorum explicasset, eosque Vigilio Pontifici obtulisset, eodem jubente in hoc Templo (*d*) Anno DXLIV. recitavit. In fine namque Libri I. (*e*) post-

(*a*) Pag. 330. part. 1. de Vitis Sanctor. Lipomani edit. Lovanii 1571. & pag. 430. t. 7. Biblioth. Concionat. Combefisii, & pag. 5. Vit. Sanct. Surii.

(*b*) In notis ad Martyrologium Romanum ad diem 1. Augusti, & ad an. 439. n. 5.

(*c*) Ita Bailletus in vit. Sanctor. ad diem 1. Augusti pag. 9. t. 8. edit. Paris. 1704. & in Tabula Critica eidem tomo VIII. præfixa pag. 3., Fabricius lib. 5. Biblioth. Græcæ parte 2. cap. 5. pag. 554. t. 6., Combefisius t. 7. Biblioth. Concionator. pag. 435. Tillemontius nota 46. in Vit. S. Petri pag. 538. t. 1., & Georgius in notis ad Martyrolog. Adonis ad diem 1. Augusti pag. 369.

(*d*) Id colligo ex nota oblationis Librorum Aratoris, quæ ad calcem Codicum M.S. ejusdem legitur, & edita est a Baronio ad an. 544. n. 2., Florentinio Exercitat. XI. pag. 713. Martyrolog. Ecclesiæ Occidentalis, Mabillonio t. 1. Musæi Italici pag. 76., Georgio Dissertat. 1. de Hierarchia S. R. E. cap. 4. n. 3. pag. 44. t. 2. Liturg. Roman. Pontif., & Labbeo t. 1. Biblioth. Manuscriptorum pag. 668. edit. Paris. 1657. atque ita se habet = *Beato Domno Petro adiuvante oblatus hic Codex ab Aratore inlustri, ex Comite Domesticorum, ex Comite Privatarum viro religioso, Subdiacono S. Ecclesia Romana Sedis Apostolica, sancto atque Apostolico Viro Papa Vigilio, & susceptus ab eo die VIII. idus Aprilis in Presbyterio ante Confessionem Beati Petri, cum ibidem plures Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Clerici maxima pars interessent. Quem cum ibidem legi pro aliqua parte fecisset, Surgentius vir venerabilis Primicerius Schola notariorum in scrinia dedit Ecclesia collocandum. Cujus beatitudinem iterati omnes, doctissimique continuo rogaverunt, ut eum juberet publice recitari. Quod cum fieri pracepisset in Ecclesia B. Petri, qua vocatur ad Vincula, religiosorum turba convenit. Atque eodem Aratore recitante, distinctis diebus ambo libri septem vicibus sunt auditi;... tertio anno post Consulatum Basilii V. C. Indictione VII.* Notæ Chronologicæ respondent anno Æ. V. 544.

(*e*) Pag. 650. t. 8. Bibl. Patr. edit. Paris. 1624.

postquam enarravit S. Petrum in libertatem Angeli ministerio fuisse restitutum; disruptis Catenis, quibus tenebatur vinctus, de iisdem Catenis ita canit:

Manet omne per ævum
Pignoris hujus apex, & sideris obtinet instar
Corpore quod Petrus sacravit, & Angelus ore.
His solidata fides, his est tibi Roma Catenis
Perpetuata salus, harum circumdata nexu
Libera semper eris; quid enim non Vincula præstent,
Quæ tetigit qui cuncta potest absolvere? Cujus
Hæc invicta manu, vel relligiosa triumpho
Mœnia, non ullo penitus quatientur ab hoste.
Claudit iter bellis, qui portam pandit in astris.

Et est sane illud observatione dignum, quod his Aratoris versibus Inscriptio formata est, quæ in nostra Basilica (*a*) collocata fuit, quod profecto non contigisset, si tunc temporis satis certum, exploratumque non fuisset, earum Catenarum, quibus Petrus Hierosolimis fuerat vinctus, partem aliquam ibidem fuisse. Clarius hanc eandem rem prodit Notkerus sæculi IX. Scriptor in suo Martyrologio, ubi ad diem 1. Augusti (*b*) ita scribit = *Romæ Statio ad S. Petrum ad Vincula, quam Ecclesiam ipse primus in Europa primam construxit, & consecravit, in qua postmodum Catenæ, quibus apud Hierosolymam vinctus, & a quibus Angelica visitatione solutus est, Fidelium cura positæ expetuntur, & coluntur Orbis quadripartiti veneratione, sicut etiam distichon* (*c*) *antiquissimum de illis testatur*. Sed aliud non minus grave hujusce rei argumentum attendite. Festo illo die, qui de Vinculis Petri à Romanis Pontificibus institutus agitur, fiebat olim etiam honorifica mentio de Petro divinitus erepto è vinculis Herodis Agrippæ, quod accepimus à S. Gregorio Magno in suo Sacramentario (*d*), & à Wandalberto Diacono, qui suo in Martyrologio ad diem 1. Augusti (*e*) ita canit.

Augustas retinent Machabæi jure Kalendas.
Carcere Roma Petrum celebrat Vinclisque reductum.

At quid tanta hæc, & tam honorifica commemoratio liberationis Petri è Vinculis

(*a*) In Appendice Gruteri, quæ plura Epigrammata continet ex Basilicis Urbis fere omnia descripta, una cum aliis Inscriptionibus, quæ sine dubio ad nostram Basilicam spectant pag. 1174. n. 4. extant citati Aratoris versus. Fletvood in Inscript. Antiq. pag. 507. edit. Londini 1691., cum versus illos ex Grutero retulisset, observat falli eos, qui putant illos Inscriptionem quamdam esse, sed ego non video, cur ex versibus Aratoris confici non potuerit Inscriptio.

(*b*) Pag. 159. p. 2. t. 2. Lection. Antiq. Canisii.

(*c*) Quod, & quale fuerit illud distichon, de quo Notkerus, non satis constat. Legendarium Basilicæ S. Stephani, quod an. 1180. scriptum est fol. 72., Nicolaus Signorilis in Catalog. Reliquiar. Urbis Romæ fol 61. Cod. Vatic. 3536, & Pompejus Ugonius in Theatro Urbis Romæ pag. 202. Cod. 1047. Biblioth. Barberinæ referunt, quod in Abside nostræ Basil. ex legebantur hi versus

Illæsas olim servant hæc tecta Catenas.
Vincla Sacrata Petri, ferrum pretiosius auro.

num illi distichon de quo Notkerus?

(*d*) Pag. 117. p. 1. t. 3. Operum, ubi ad diem 1. Augusti hæc legitur Oratio — *Deus, qui B. Petrum Apostolum a Vinculis absolutum, illæsum abire fecisti, nostrorum, quæsumus, absolve vincula peccatorum.*

(*e*) Pag. 50, t. 2. Spicileg. D' Achery edit. Paris. 1723.

lis Hieroſolymitanis, niſi Romæ, ubi primum feſtus hic dies in honorem Catenarum Petri inſtitutus eſt, eadem illa fuiſſent Vincula, quæ Petro ab Herode fuerant injecta? Secus ſi foret, aliena, atque inopportuna mentio; nihil enim commune cum liberatione Petri Romana Vincula habuere, è quibus non ereptus Petrus, ſed ad ſupplicium eductus fuit. Sed hoc quidem, nempe quod Romæ Hieroſolymitana Petri Vincula colerentur, affirmant etiam Auctor Sermonis de iiſdem Vinculis, qui extat in Homiliario Alcuini (*a*), Codex Palatinus CCCCLXX. ſæculi X. (*b*), qui Annotationes quaſdam de diebus Feſtis Sanctorum continet, Sigebertus (*c*), Petrus Comeſtor (*d*) Joannes Belethus (*e*) Lectionarium Baſilicæ S. Stephani Bononiæ (*f*), Vetus Scriptura Sæculi XII., quæ ad uſum hujus noſtræ Baſilicæ fuiſſe videtur, quam Papebrochius refert (*g*), Gervaſius Tilberienſis (*h*), Honorius Auguſtodonenſis (*i*), Durandus (*k*), Martinus Minorita (*l*), Ricobaldus Ferrarienſis (*m*), & Vetus Templi hujus Inſcriptio, quam jam retulimus.

V. Neque vero aut Hierolyſomitanas, aut Romanas Petri Catenas a primis Eccleſiæ fidelibus cuſtoditas fuiſſe, & in honore habitas, propterea in dubium revocare debemus, quod ſæculo Eccleſiæ VI. vetuſtiora non ſint, quæ hactenus, in hanc rem, protulimus monumenta. Nam, ut omittam, quod alias dicebam, injuriam nos majoribus noſtris facere, ſi eos ita aut rudes, aut indiligentes exiſtimamus fuiſſe, ut Catenas illas nulla non honoris ſignificatione proſequerentur, quas Petri fuiſſe ab antiquioribus non accepiſſent: non Sexto primum ſæculo Catenarum Petri Religionem cœpiſſe inde conſtat, quod qui eo ſæculo floruerunt ſic de Catenis iſtis loquuntur, ut eas jam ante celebres, & in honore apud omnes fuiſſe non obſcurè ſignificent. Quod præſertim de Gregorio Magno eſt aſſerendum, quem pluries Regibus, Principibus, aliiſque illuſtribus viris Catenarum iſtarum ramenta dono miſiſſe, alibi oſtendemus. Id non enim egiſſet Gregorius, ſi jam maxima non fuiſſet Chriſtianorum omnium erga Petri Catenas religio, nec compertum habuiſſet illas in diſſitis uſque regionibus celebres fuiſſe. Nam & Juſtinianum anno DXIX., cum nondum Imperator eſſet renunciatus, aliquid Catenarum D. Petri ab Hormiſda Romano Pontifice poſtulaſſe legimus in Suggeſtione Legatorum ejuſdem (*n*), quæ una cum Epiſtolis Hormiſdæ edita

B eſt;

(*a*) Pag. 880.
(*b*) Fol. 61.
(*c*) In Chronic. ad an. 438. pag. 496. t. 1. Rer. Germanic. Piſtorii.
(*d*) Hiſtor. Apoſtol. cap. 63. pag. 740. edit. Romæ 1727.
(*e*) In Explicat. Divin. Offic. cap. 141.
(*f*) Fol. 71.
(*g*) In Analectis de Reliq. Sanct. Apoſtol. Petri, & Pauli §. IX. n. 112. pag. 451. t. V. Act. SS. Menſis Junii.
(*h*) In Otiis Imperialibus ad Othonem IV. Imperatorem deciſ. 2. cap. 16. pag. 928. t. 1. Rec. Brunſvicenſ. Leibnit. Hanovæ 1707.
(*i*) Lib. 3. Gemmæ Animæ cap. 164. pag. 1297. t. 1. Auctar. Bibl. Patr. Pariſ. 1610.
(*k*) Lib. 7. Rationalis Divin. Offic. cap. 19.
(*l*) In Chronico pag. 1588 t. 1. Corp. Hiſtorici Medii Ævi Georgii Eccardi Lipſiæ 1723.
(*m*) In Compilat. Chronologic. pag. 1256. t. 1. Corp. Hiſtoric. Eccardi.
(*n*) Pag. 648. t. V. Concil. Labbæi edit. Venetæ, ubi hæc leguntur — *Unde ſi & beatitudini veſtræ videretur, Sanctuaria beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ſecundum morem, ei largiri præcipite . . . Petit & de Catenis SS. Apoſtolorum, ſi poſſibile eſt.*

eſt ; ut propterea Sexti ſæculi initio ad Orientem uſque notitia promanaſſet, quod Petri Catenæ a Chriſti fidelibus ſervatæ Romæ colebantur.

VI. Sed V. etiam ſæculo Romæ illas in honore fuiſſe vel ipſa appellatio *ad Vincula*, quam vel eo tempore Baſilica noſtra habuit, luculenter declarat. Sane in vita Symmachi, qui Pontifex fuit anno CCCCXCVIII., & ab Auctore Libri Pontificalis conſcripta eſt, mentio fit (*a*) cujuſdam Digniſſimi Presbyteri *ad Vincula S. Petri Apoſtoli*, qui in tumultu contra Symmachum a Feſto Exconſule, & Probino pariter Exconſule excitato occiſus fuit. In veteri quoque Inſcriptione, quæ extat in Monaſterio S. Laurentii extra muros, & quam ex literarum forma ſæculo V. factam eſſe conjicio, mentio habetur *Sebaſtiani Presbyteri a Vinculis*. En illam (*b*):

☧ LOCUS SEBASTIANI P̄B̄ ⁊ AVIN....
IN QUO REQUIESCIT FILIA S̄S̄. NOMINE...
QUAE VIXIT ANN̄ XIII. DEP. III. KAL. NOVE...

Nam prima Inſcriptionis hujus verba ſic legenda eſſe puto:

LOCUS SEBASTIANI PRESBYTERI A VINCULIS.

Et quidem, qui olim hanc Baſilicam in titulum habebant, Presbyteri *a Vinculis* dicebantur; ut ex alia veteri Inſcriptione, quæ in ea adhuc extat apparet, atque hic poſita eſt anno DXXXII.; ſic enim habet (*c*)

SALBO PAPA N. JOHANNE COGNOMEN
TO MERCURIO EX S̄C̄Ē ECC̄L. ROM̄. PRESBYTE
RIS ORDINATO EX TIT̄. S̄C̄I CLEMENTIS AD GLO
RIAM PONTIFICALEM PROMOTO BEATO PETRO
AP̄. PATRONO SUO A VINCULIS EJUS SEVERUS P̄B̄ ŌF̄R̄T̄
ET IT̄. P̄C. LAMPADI ET ORESTIS. V̄V̄. C̄C̄. URBICLUS CEDRINUS EST.

VII. Prodeat nunc Samuel Baſnagius, & confidenter, ut ſolet, Hieroſolymitanas D. Petri Catenas in manus Chriſtianorum veniſſe numquam, ſtatuat (*d*). Quid argumenti, quid cauſæ afferat, quamobrem tam inveteratam auctoritatem, & fidem elevet, non video. Nam quod primo Chryſoſtomi iis

(*a*) Pag. 80. t. 2. Anaſtaſi Biblioth.; ſic enim habet — *Etiam multos ſacerdotes occiderunt, inter quos Digniſſimum, & Gordianum Presbyteros ad Vincula S. Petri Apoſtoli, & ad ſanctos Johannem, & Paulum.*

(*b*) Hanc eamdem Inſcriptionem refert Marangonius Trattato delle coſe Gentileſche traſportate ad uſo delle Chieſe cap. 82. pag. 458., ſed mendoſe; quod non novum huic Auctori, præſertim cum Inſcriptiones refert, quæ in noſtris Baſilicis extant.

(*c*) Referunt hanc Inſcriptionem Florentinius Exercitat. XI. pag. 713., Holſtenius in notis ad Concil. Roman. III. ſub Bonifacio II. pag. 857. t. V. Concilior., Noriſius lib. 2. Hiſtor. Pelagianæ cap. 23., Papebrochius in Conatu Critic. Hiſtoric. ad Catalog. Pontif. Roman. pag. 78. Propylæi, Pagius in Critica ad ann. 531. n. 5., Relandus in Faſtis Conſul. ad ann. 532. pag. 708., & Fontaninus Diſſ. Argent. Veter. Chriſtian cap. 17. pag. 51. ubi obſervat notas Chronologicas hic ſignatas congruere anno 532., & Urbiclum recte Orbiculum explicaſſe Danielem Papebrochium; quamvis poſtea vir doctus, *menſam* ea voce denotari male ominetur; *Clypeum* quippe *votivum* cedrinum denotat, quem Severus Presbyter tituli B. Petri a Vinculis Patrono ſuo munus offert, cum ejuſdem Apoſtoli effigie.

(*d*) Exercitat. 9. pag. 452.

iis verbis homiliæ 27. in Acta Apostolorum (*a*) *Vincula erant*, *custodes intus*, *carcer clausus*, *nusquam perfossus paries*, *omnes eadem dicebant*, *homo ille raptus non est* = confici vult Vincula e Petri excussa manibus relicta in carcere, & numquam in manus Christianorum venisse, levissimum sane est, & responsione vix dignum. Excussæ sunt Petro e manibus Catenæ divinitus, & relictæ in carcere, quis neget? Non igitur in manus Christianorum venerunt, non ab illis conservatæ. O præposteram argumentandi rationem! Ego autem, & propterea quod excussæ divinitus Catenæ illæ fuerunt, idcirco quæsitas a Christianis diligentius, conservatasque, tamquam divinæ trophæa potestatis, affirmo, non relictas ad supplicium hominum consceleratorum. Addit deinde (*b*) hæc Petri Vincula ignota fuisse Eusebio, qui suæ Historiæ lib. 2. cap. IX. (*c*) dum narrat Petrum ab Herode in carcerem fuisse conjectum, de Catenis a Christifidelibus custoditis mentionem nullam facit. Quasi quidquid ab Eusebio diserte non commemoratur, id quidem verum omnino esse non possit; quam multa enim sunt; quæ vel diligentes Scriptores silentio prætermittunt, quæ vel ad rem propositam non pertinent, vel scribendo ipsi obliviscuntur? Quid? Ille idem Chrysostomus (*d*), quem Basnagius opinionis suæ, vel erroris potius testem vocat, nonne multa, & mira prædicat de Catenis S. Pauli, de quibus Eusebius ne verbum quidem; cum tamen, ubi (*e*) narrat Romam Catenis vinctum fuisse Paulum adductum, erat accomodatus eas commemorandi locus. Quod si adversus Chrysostomi testimonium de Pauli Catenis, Eusebii silentium non valet, cur de Petri Vinculis valeat adversus Græcæ, Latinæque Ecclesiæ communem illam quidem, atque jam inveteratam opinionem? Nam quod vehementer idem Basnagius (*f*) laborat, fidem ut elevet, auctoritatemque convellat Græci Auctoris sermonis in Vincula S. Petri a Lippomano editi, qui de Catenis B. Petri historiam, (ut mos erat temporum illorum) nonnullis fortasse ineptiis fucatam tradidit; sciat sententiam nostram non egere patrocinio auctoris illius, cum & religionis vetustate, & gravissimorum testium auctoritate subnixa sit. Quanquam quid quæso affert, cur adeo commentitia, neque plane verisimilis videatur Græci scriptoris narratio? Negat potuisse inveniri Christianos ex Familia Herodis, qui Petri Catenas surriperent ad memoriam, & religionem posterorum. Cur ita? Quia, inquit, cum Herodes esset maxime inimicus Christiani nominis, idcirco numquam credibile videtur habuisse Christianum quemquam inter domesticos suos. Sed hic quæro ex Basnagio, utrum Christianorum amicus, an hostis omnium teterrimus fuerit Nero. Et tamen, licet Christianos capitali odio persequeretur, satis constat fuisse non paucos inter domesticos apud Neronem; quod aperte con-

B 2 stat

(*a*) N. 1. pag. 216. t. IX. Operum.
(*b*) Exercit. 9. pag. 452.
(*c*) Pag. 18. edit. Valesii Parisiis 1676.
(*d*) Hom. 8. in Epist. ad Ephesos 1. & 2. pag. 53. & 54., & hom. X. in Epist. ad Colossenses n. 4. pag. 401. t. XI. Oper.
(*e*) Lib. 2. Histor. cap. 22. pag. 24.
(*f*) Exercitat. 9. pag. 453.

ſtat ex Epiſtola S. Pauli ad Philippenſes data, in qua capite 4. ℣. 22. *Salutant vos*, inquit, *omnes Sancti*, *maxime autem*, *qui de Cæſaris domo ſunt*. Nam Cæſaris nomine Neronem intelligi, conſentiunt omnes. Quod quidem ſummo, ac mirabili conſilio præpotentis Dei factum eſt, qui ad oſtendendam Sapientiæ ſuæ vim abſtraxit e familia, & quaſi e gremio impietatis propugnatores acerrimos Religionis ſuæ. At in hoc etiam cavillatur Baſnagius (*a*), quod negat potuiſſe Petri Catenas ſurripi a Chriſtianis, niſi rei furti agerentur. O egregium defenſorem famæ Chriſtianorum! At nos quidem tantum abeſt, ut ab illis crimen iſtud furti, quod in eos confert, removere velimus, ut laudi potius ipſorum tribuendum exiſtimemus. Sacra enim hæc inſtrumenta Chriſtianæ fortitudinis auferre e manibus hominum prophanorum, non id quidem ſceleris, ſed pietatis fuit. Quamobrem in Actis Martyrum (*b*) non ſemel hujuſmodi furta Chriſtifidelium glorioſa commemorantur; & Chryſoſtomus ipſe Homilia in Sanctos Juventinum, & Maximinum (*c*), Chriſtianos illos, qui, maximo ſuo cum periculo, horum Martyrum reliquias Ethnicis furtim ſurripuerant, magnificentiſſime collaudavit, vivos Martyres appellans. Sunt igitur conjecturæ hæ Baſnagii futiles, inanes, leves, quæ quid valeant adverſus opinionem multorum jam ſæculorum auctoritate defenſam, non video; neque intelligo, cur Baſnagio minus veriſimile videatur a primis illis Chriſtianis fuiſſe S. Petri Catenas pie, diligenterque cuſtoditas; & non illud potius incredibile videri debeat, Majores noſtros tanta integritate, & religione viros, voluiſſe & ſe, & alios fruſtrari, ut non Petri, ſed e ſordida officina Catenas neſcio quas, nobis obtruderent tamquam monumenta quædam religioſa, ad excolendum. Quod ſi in eo perſtat, ut leviſſimis conjecturis permotus, nimium illos credulos, ac ſuperſtitioſos fuiſſe putet: libere ut, quod ſentio, dicam, malo equidem pie errare cum Majoribus noſtris, quam cum Baſnagio, ejuſque ſimilibus nimium ſapere. Sed de his hactenus, reliqua perſequamur.

§. II.

(*a*) Pag. 453.
(*b*) Videantur Acta SS. Alexandri & Epipodii n. 12. pag. 67., Acta SS. Tarachi & Socior. n. XI. pag. 362., Acta SS. Theodoti & Socior. n. 16. 17. 18. & ſeq. pag. 302. apud Ruinart; nec non S. Gaudentius ſer. 17. pag. 344. edit. Galeardi, Ferrandus lib. 1. Diſquiſit. Reliquiar. cap. 1. pag. 023., Theophilus Raynaudus Heteroclit. Spirit. punct. 8. n. 23. pag. 317. t. 15. Operum, & SS. D. N. BENEDICTUS XIV. de Servorum Dei Beatificat. & Canonizat. lib. 4. parte 2. cap. 26. n. 21. pag. 193. edit. Patav.
(*c*) N. 3. pag. 582. t. 2.

§. II.

Quo primum tempore Basilica ad Vincula Romæ in honorem Catenarum S. Petri exædificata.

I. CUm multis aliis in rebus, tum in iis maxime, quæ ad Religionem pertinent, plurimam auctoritatem habet antiquitas. Quo igitur antiquior est cultus Christianorum erga Petri Catenas, eo sanctior, atque augustior videri debet. Verum ad hujusce cultus vetustatem ostendendam magni referre arbitror constituere, quo tempore sacra ad Vincula Ædes fuerit ædificata, aut saltem hanc appellationem ad Vincula acceperit. Neque enim Majores nostri Templum sanctum, atque augustum in Vinculorum Beati Petri honorem aut ædificassent, aut eo nomine appellassent, nisi vel ex eo tempore magno in honore apud Christianos Beati Petri Vincula fuissent. Etsi vero de hac re variæ sunt doctissimorum hominum, discrepantesque sententiæ, opinionem tamen, non quæ magis plausibilis, sed quæ verior videatur, eam complectemur. Sunt igitur, & præsertim inter recentiores Scriptores, qui dicant sacram hanc Ædem circa dimidium Quinti sæculi ab Eudoxia Valentiniani tertii Uxore fuisse constructam, atque eo etiam tempore, propterea quod S. Petri Catenæ in eam delatæ fuerunt, ad Vincula nuncupatam: ita Pompejus Ugonius (*a*), Cardinalis Baronius (*b*), Pancirolus (*c*), Donatus (*d*), Ciacconius (*e*) Victorellus (*f*), Cornelius à Lapide (*g*), Martinellus (*h*), Quesnellius (*i*), Bailletus (*k*), Davanzatus (*l*), Boldetus (*m*), aliique. Sed cum eo fere tempore duæ aliæ fuerint Eudoxiæ, altera Arcadii, altera vero Theodosii Junioris Uxor, (quæ propriè tamen Eudocia dicta est,) non defuerunt qui nominis similitudine decepti vel huic, vel illi maximam exædificati Templi laudem tribuerent. Et quidem ab Eudoxia Arcadii ædificatum affirmant Auctor Sermonis de Vinculis S. Petri, qui in Homiliario Alcuini (*n*) legitur, vetus Lectionarium Basilicæ S. Stephani Bononiæ (*o*), Flavius Blondus (*p*), Lucius Faunus (*q*), Andreas Fulvius

(*a*) Stazioni di Roma fol. 51.
(*b*) Ad ann. 439. n.7., & in notis ad Martyrolog. Romanum ad diem 1. Augusti.
(*c*) Tesori nascosti di Roma pag. 210. edit. Romæ 1630.
(*d*) Lib. 4. de Urbe Roma cap. 3. pag. 465. edit. Romæ 1725.
(*e*) In Vita Sixti III. pag. 299. t. 1. Vit. Roman. Pontif. edit. Romæ 1677.
(*f*) In Additionibus ad Ciaccon. t. 1. pag. 300.
(*g*) Comment. in cap. XII. Act. Apostol.
(*h*) Rom. ex Ethnic. Sacr. cap. 9. pag. 284. edit. Romæ 1653.
(*i*) In Monito ad Serm. 82. S. Leonis pag. 166.
(*k*) In Vitis Sanctor. Gallice editis ad diem 1. Augusti n. 2. pag. 3.
(*l*) Storia di S. Prassede lib. 1. cap. 5. pag. 29.
(*m*) Osservazioni sopra i Cimaterj de Martiri lib. 1. cap. 60. pag. 313.
(*n*) Pag. 881.
(*o*) Fol. 71.
(*p*) Roma Ristaurata lib. 2. pag. 31. n. 35. edit. Venet. 1542.
(*q*) Antichita di Roma lib. 4. pag. 106.

tur esse, quibus ab eruditis Viris adjungatur fides. Neque sane illud intelligi potest, qua ratione Alexander in carcere, & vinculis constitutus de exædificando Templo cogitarit, (nam id ab illo factum cum in carcere erat narrant citati Auctores), & ædificatum dedicarit, nisi forte iccirco emissum è carcere dicamus, ut dedicaret, quod est planè fictum, & commentitium; nam nec ejus Acta ipsum è carcere aliquando exiisse commemorant. Atque hæc sententia confecta esset plane: verum si esset, quod contendit Ficoronius, qui de rerum antiquarum studio, si quis alius, meritus est optimè. Existimat enim (*a*) eo loci, ubi nunc Templum est nostrum, fuisse jam Titi Imperatoris Thermas, quarum vestigium sit Absis ejusdem Templi: confecta, inquam, res videretur esse, si hæc sententia Ficoronii tam vera esset, quam forte quisquam putat. Nam Thermæ ab Imperatore Tito extructæ (*b*) S. Alexandri ætate non erant dirutæ, ut in earum ruinis Templum ædificari posset. Trajanus enim, quo imperante mortuus est S. Alexander, illas ampliavit (*c*), unde & Trajanæ sunt dictæ. Sub Antonino quoque, qui regnare cœpit Anno CXXXVIII. stabant adhuc (*d*); sicut sub Balbino, & Pupieno, qui Imperium adepti sunt Anno CCXXXVII.; siquidem de iis restituendis eo anno actum est in Senatu, ut tradit Julius Capitolinus in eorum Vita (*e*). Sed ego, tanti Viri pace, adduci non possum, ut abeam in sententiam illius. Nam si qui sunt accuratiores rerum antiquarum Scriptores, ii fere omnes Thermas Titi numquam ad eum locum ubi Templum est explicarunt, etsi non longè ab ipso earum situm constituant. Sic statuunt Albertinus (*f*), Marlianus (*g*), Fabricius (*h*), Pyrrhus Ligorius (*i*), Ugonius (*k*), Pancirolus (*l*), Donatus (*m*), Jacobus Laurus (*n*), Famianus Nardinus (*o*), & Borrichius (*p*). Quinimmo Octavius Falconerius, qui inter vestigia Thermarum Titi, & illum Cœnobii nostri locum, qui ad Meridiem vergit, Gymnasium quoddam Athletarum fuisse ait (*q*), (ad quod Gymnasium ponendum Antoninus Imperator Athletis concessit locum, ut ex ejus rescripto apud Gruterum (*r*) constat), satis manifestè indicat, Ther-

(*a*) Vestigia di Roma Antica lib. 1. cap. 16. pag. 101. Roma 1744. Videatur etiam Lucius Faunus Antichità di Roma lib. 4. pag. 106.

(*b*) Svetonius in Vita Titi cap. 5. pag. 720. Trajecti 1672. *Amphiteatrum Colosseum nuncupatum Vespasianus condidit, Titus dedicavit, Thermis juxta celeriter extructis.*

(*c*) Videantur Arringhus lib. 4. Romæ Subterran. cap. 44. n. 3. pag. 375., Famianus Nardinus Roma Antica lib. 3. cap. 10. pag. 116. Roma 1704., Borrichius Antiq. Urbis Roman. Facies cap. 5. pag. 1536. t. 4. Antiquitat. Romanar. Grævii, & Pitiscus Lexic. Antiq. Roman. verbo *Thema Titi.*

(*d*) Vide Gruterum Inscript. Antiq. pac. CCCXVI. n. 1.

(*e*) Pag. 139, t. 2. Histor. Augustæ edit. Lugd. Batav. 1671.

(*f*) de Mirabilibus novæ & veter. Urbis Romæ pag. 19. Basileæ 1519.

(*g*) Lib. 4. Topograph. Urbis Romæ cap. 14. pag. 148. t. 3. Antiquit. Roman. Grævii.

[*h*] Descript. Urbis Romæ cap. 19. pag. 459. t. 3. Antiquit. Roman. Grævii.

[*i*] Paradosse fol. 43. col. 2.

[*k*] Stazioni di Roma fol. 50.

[*l*] Tesori nascosti pag. 686. Roma 1600.

[*m*] Lib. 3. de Urbe Roma cap. 10. pag. 701. t. 3. Antiquit. Roman. Grævii.

[*n*] Lib. 1. Antiquit. Urbis Romæ fol. 79. edit. Romæ 1613.

[*o*] Roma Antica lib. 3. cap. 10. pag. 116.

[*p*] Antiq. Urbis Roman. Fac. cap. 5. pag. 1536.

[*q*] Præfat. ad Inscript. Athletic. quas anno 1668. edito Romæ Commentario illustravit, ubi observat illas ante annos octo in Hortis nostris fuisse effossas, ex quo colligit illic olim fuisse Gymnasium Athletarum, cum vix alibi, quam in Gymnasio Athletarum in unum cogi potuerint tot Athletica monimenta diversarum ætatum. Atqui Inscriptiones istæ, de quibus Falconerius, in eo, quem diximus loco effossæ sunt anno 1660. Mense Maii, quod habent Archivi nostri Tabulæ ad eum annum fol. 49.

[*r*] Inscript. Antiquar. pag. CCCXVI. n. 1.

Thermas istas Basilicæ hujus locum ex ipsius sententia non tenuisse; alioquin cum Basilica huic Cœnobii parti annexa sit, in ipsis Thermis Gymnasium istud fuisset; cum tamen prope Thermas Antoninus locum ad illud ponendum concesserit. Non igitur ubi Templum est modo, fuerunt Thermæ Titi Imperatoris; sed non propterea à S. Alexandro exædificatum fuisse audeo affirmare.

III. Hoc affirmo, hoc negari non posse arbitror, à Sixto III. vel a fundamentis excitatum, vel in ampliorem formam redactum, & ab eodem Sixto III. illud fuisse dedicatum. Quod legitur in Inscriptione, quam ex Martinello, & Cardinali Thomasio jam retulimus; illius enim hoc est initium:

HOC DOMINI TEMPLUM PETRO FUIT ANTE DICATUM
TERTIUS ANTISTES SIXTUS SACRAVERAT OLIM.

De hac eadem dedicatione à Sixto Tertio facta loquutus est etiam Leo Magnus Sixti III. successor in Sermone de Machabæis (*a*), ubi hæc habet = *Duplex causa lætitiæ est, in qua & natalem Ecclesiæ colimus, & Martyrum passione gaudemus ..... non solum enim Martyres, ac Martyrum matrem, sed etiam illius memoriam justo honore veneramini, qui hoc die antiquam festivitatem hujus loci consecratione geminavit: magnificus quidem structor parietum, sed magnificentior ædificator animarum, ultra ævi sui terminos opera pietatis extendens, ut utilitatibus institutionum ejus etiam in ipso frueretur devota posteritas, & habitando quod condidit, & faciendo quod docuit*. Nam hæc verba de Sixto III. esse accipienda recte animadvertit Quesnellus (*b*); extrema enim Orationis suæ parte ostendit Leo, eum, de quo loquitur, sibi æqualem fuisse, hortaturque auditores, ut res à tanto Pontifice pie, sancteque gestas, quarum memoria excidere non possit, imitentur; præsertim cum in oculis habeant Templum illud numquam interiturum tantæ pietatis monumentum. Quæ omnia, præterquam Sixto, apte convenire nemini possunt. Festum vero diem Dedicationis, cujus meminit idem S. Leo, esse Festum Templi nostri diem ex eo constat, quod Kalendis Augusti, quibus etiam antiquitus Machabæorum solemnia agebantur, in vetustis Matyrologiis notata reperitur Dedicatio Basilicæ S. Petri ad Vincula, quod alias ostendemus, & a Clarissimo Georgio est observatum, qui in Notis ad Martyrologium Adonis sub die 1. Augusti (*c*) ita scribit = *Celebritas Dedicationis Ecclesiæ S. Petri ad Vincula Romæ ex veterrimo ritu agitur*. Recte propterea Hugo Menardus (*d*), Papebrochius (*e*), & Cardinalis Thomasius (*f*) S. Leonis citata jam verba de Basilica nostra esse accipienda monent; ac fallitur Quesnellus, (*g*) qui Festum

---

[*a*] Serm 82. cap. 1. pag. 167.
[*b*] Monito ad Serm. 82. S. Leonis pag. 166.
[*c*] Pag. 368.
[*d*] In notis ad Sacramentar. S. Gregorii Magni not. 437 pag. 409. t. 3. Oper. S. Gregor. Magn.
[*e*] In Analectis de Reliq. Sanct. Apostol. Petri, & Pauli §. IX. n. 113. pag. 451. t. V. Act. Sanct. Junii.
[*f*] In notis ad Capitulare Evangel. pag. 188. Antiq. Libr. Missar.
[*g*] Monit. ad Serm. 82. S. Leonis pag. 165.

ftum Dedicationis diem, de quo loquitur S. Leo, putat esse Dedicationis Basilicæ S. Mariæ Majoris, quam Basilicam etiam Sixtum Tertium extruxisse, & dedicasse legimus in ejus Vita ab Auctore Libri Pontificalis conscripta (*a*). Nam Festus dies Dedicationis Basilicæ S. Mariæ Majoris, non Kalendis Augusti, sed Nonis ejusdem Mensis antiquitus quoque agebatur, ut constat ex Martyrologio Ecclesiæ Occidentalis antiquissimo, edito à Florentinio (*b*); quod etiam testantur Auctor Descriptionis Basilicæ Lateranensis (*c*), Hermannus Gygas (*d*), & Andreas Ratisponensis (*e*).

III. Accedit ad hanc rem confirmandam Inscriptio quædam in Appendice ad Gruterum (*f*), quæ Appendix complectitur varia Epigrammata e Basilicis Urbis fere omnia exscripta, atque hæc est =

CEDE PRIUS NOMEN NOVITATI CEDE VETUSTAS
REGIA LAETANTER VOTA DICARE LIBET
HÆC PETRI PAULIQUE SIMUL NUNC NOMINE SIGNO
XYSTUS APOSTOLICAE SEDIS HONORE FRUENS
UNUM QUAESO PARES UNUM DUO SUMITE MUNUS
UNUS HONOR CELEBRAT QUOS HABET UNA FIDES
PRESBYTERI TAMEN HIC LABOR EST ET CURA PHILIPPI
POSTQUAM EFFESI XPS VICIT UTRIQUE POLO
PRAEMIA DISCIPULIS MERUIT VINCENTE MAGISTRO
HANC PALMAM FIDEI RETTULIT INDE SENEX.

Hanc Inscriptionem ad nostrum Templum pertinere, quod Sixtus Tertius Sanctis Apostolis Petro, ac Paulo dedicarit, mihi plane persuasum est. In primis enim quæ alia est sacra Ædes, quam Sixtus Tertius iisdem Apostolis dedicarit? An ea, quæ olim in Via Sacra prope Templum Romuli erat? Sed illam *noviter fecit* Paulus I. Pontifex, ut Anastasius Bibliothecarius in ejus vita testatur (*g*). An ea, cujus meminit Anastasius idem in Vita Hadriani I. (*h*) ad Viam Appiam exædificata? Sed hæc S. Sebastiano dicata semper fuit, & Apostolorum dicebatur, propterea quod in eo loco corpora Apostolorum olim jacuerant, non quod in eorumdem honorem dicata esset, uti recte observat Martinellus (*i*). Num ea, quæ XII. Apostolorum dicitur? At hanc, prætérquamquod beatissimis Apostolis Philippo, & Jacobo dicata antiquitus fuit, ædificare cœpit Pelagius I., & Joannes III. perfecit, ut vetus Inscriptio,

 quæ

[*a*] Tom. I. Anastas. Bibliothecar. pag. 70.
[*b*] Ad diem 5. Augusti pag. 724.
[*c*] Pag. 552. Append. t. 3. de Liturg. Roman. Pontif. Georgii.
[*d*] in Chronico Universali pag. 58. edit. Johann. Gerhard. Meuschenii Lugduni Batav. 1743.
[*e*] In Chronico pag. 1985. t. I. Corpor. Histor. Ecardi.
[*f*] Pag. MCLXXIV. n. 7.
[*g*] Pag. 217 Edit. Romæ.
(*h*) Pag 264.
[*i*] Rom. ex Ethnic. Sacr. pag. 345.

quæ illic olim erat, a Martinello (*a*) relata, habet, traduntque Auctor libri Pontificalis (*b*), Venerabilis Beda (*c*), Marianus Scotus (*d*), & Hermanus Contractus (*e*): Ut propterea Templum a Sixto III. Petro, & Paulo dedicatum illud idem sit, quod ab eodem Sixto D. Petro fuisse dedicatum, fidem alterius Inscriptionis sequuti, jam diximus, & quod postea D. Petri ad Vincula nomen accepit. Nam habemus ex Anastasio in Vita Hadriani I. (*f*), & Gregorii IV. (*g*), Basilicam hanc nostram non solum ad Vincula, sed etiam *Apostolorum* sæculis VIII. & IX. fuisse appellatam, cujus quidem appellationis hæc sane ratio fuit, quod olim Apostolis Petro, & Paulo dedicata, hoc etiam antiquo nomine vocabatur.

IV. Jam vero plura sunt, quæ ex hac Inscriptione addisci possunt. Illud in primis, quod sub Sixto Tertio non primum a fundamentis excitatum hoc Templum fuerit, sed, vetustum quod erat, auctum, atque exornatum, licet postea incertum sit, an antiquum Templum illud fuerit, quod primum a S. Petro fundatum perhibetur, an illud, quod a S. Alexandro ædificatum a nonnullis dicitur, an aliud denique, quod non multo post Diocletiani edictum (*h*) de Christianorum Basilicis solo æquandis, a Christifidelibus fuerit excitatum in memoriam Principis Apostolorum, qui locum hunc elegerat ad synaxes, & conventus agendos. Deinde hoc habemus, quod a Sixto Tertio primum locus hic nomine Apostolorum Petri, & Pauli est dedicatus, cum antea alio nomine vocaretur. Quod sane indicant ea Inscriptionis nostræ verba:

CEDE PRIUS NOMEN NOVITATI CEDE VETUSTAS.

Postremo illud accepimus, quod post celebratum Ephesinum Concilium, quod Concilium anno CCCCXXXI. coactum est, sacra hæc ædes, cura Philippi Presbyteri, (qui Philippus fortasse ille idem est, qui una cum Arcadio, & Projecto Episcopis eidem Concilio & interfuit, & præfuit (*i*)), restaurata fuit, dedicata vero a Sixto III. Id enim sibi volunt hi versus:

PRESBITERI TAMEN HIC LABOR EST ET CURA PHILIPPI
POSTQUAM EFFESI XPŪS VICIT UTRIQUE POLO.

Hoc ergo maneat, ac fixum sit, fuisse Sixti III. tempore nostri templi instaurationem, dedicationemque confectam. V. Sed

[*a*] Roma ex Ethn. sacr. cap. 9. pag. 66. Inscriptio vero hæc est —
Pelagius cœpit, complevit Papa Joannes
Unum opus amborum, par micat & meritum.
[*b*] In Vita Pelagii I. pag. 112. & in Vita Joannis III. pag. 112.
[*c*] In lib. de sex Mundi Ætatib. pag. 114. t. 2. Oper. edit. Colon. Agripp. 1688.
[*d*] In Chronico pag. 618. & 619. t. I. Rer. Germanic. Pistor. edit. Burcardi Struvii Ratisbonæ 1726.
(*e*) In Chronic. pag. 182. t. I. Rer. Germanic. Pistor. edit. Struvii.
[*f*] Pag. 264. ubi ita scribit — *Pariter & Templum Apostolorum, quod appellatur Eudoxia ad Vincula, totam ejus a novo restauravit Ecclesiam.*
[*g*] Pag. 339. ubi ita loquitur — *Fecit autem præfatus Præsul in Ecclesia Beatorum Apostolorum ad Vincula vestem de fundato.*
[*h*] Vide Eusebium lib. 8. Histor. Ecclesiast. cap. 2. pag. 120. ibi enim hæc scribit — *Nonusdecimus agebatur annus Imperii Diocletiani cum . . . proposita sunt ubique Imperialia edicta, quibus Ecclesiæ ad solum usque dirui . . . jubebantur.*
(*i*) Vide Epistolam Cælestini ad Synodum Ephesinam act. 2. Concil. Ephes. pag. 1146., Action. III. ejusdem Concilii pag. 1154. 1158. 1159. & Act. V. pag. 1195. t. 3. Concil. Labbei edit. Venetæ anni 1728.

V. Sed, vere ut dicam, non eo tempore nomen hoc ad Vincula accepit; Inscriptio enim illa, modo quam diximus, nullam de Templo, quod in honorem Vinculorum Petri dicatum foret, mentionem facit. Quamobrem sic statuo: hoc nomen ad Vincula primum huic Templo additum fuisse, cum paucis post annis illud amplificavit Eudoxia, ac Catenas Apostolorum Principis, quod alibi videbimus, in illud deferendas curavit. Eudoxiam Templum restaurasse in ea Inscriptione legimus, quam non semel commemoravimus: sic enim habet:

HOC DOMINI TEMPLUM PETRO FUIT ANTE DICATUM
TERTIUS ANTISTES SIXTUS SACRAVERAT OLIM
CIVILI BELLO DESTRUCTUM POST FUIT IPSUM
EUDOXIA QUIDEM TOTUM RENOVAVIT IBIDEM

Nam hujus rei & illud indicium est, quod antiquitus *Eudoxiæ Titulus* Templum istud vocaretur. Tituli Eudoxiæ mentio fit in Epistolis Gregorii Magni (*a*), in Vita Hadriani I. (*b*), & Leonis III. (*c*) ab Anastasio conscripta, in Concilio Romano anni DCCCXCVIII. (*d*), in Placito Benedicti VIII. (*e*) pro Monasterio Farfensi, in Epistola Cardinalium, qua ratam habuerunt electionem Callisti II. (*f*), & in Epistola X. Anacleti Antipapæ (*g*), quæ a Cardinalibus, qui illius tuebantur partes, ad Lotharium Regem Romanorum data fuit. Nam quod titulus Eudoxiæ ipsa eadem Basilica nostra esset, etsi Florentinus (*h*) negat, tradit tamen Anastasius Bibliothecarius, qui in Vita Adriani I.

 (*a*) hæc

(*a*) Epist. 22. lib. 9. pag. 935. t. 4. Oper. edit. Romæ anni 1691. nominantur Andromachus, & Agapitus Presbyteri Tituli *Eudoxiæ*. Hæc tamen Epistola a Patribus S. Mauri in Append. rejecta est n. 9. pag. 1297. t. 2. oper. Gregor. Magni. Extat in eadem Append. num. V. pag. 1292. alia Gregorio Magno inscripta Epistola, cui inter cæteros subscribunt Andromachus, & Agapitus Presbyteri Apostolorum, quos ego eosdem puto ac eos, qui in priori Epistola nominantur, nam quod Basilica nostra *Apostolorum* etiam diceretur, jam ostendimus.
(*b*) Pag. 264. & 269. t. 1. Anastas. Biblioth. Romæ 1717.
[*c*] Pag. 276. ubi de Leone III. ait quod *fecit vestem in titulo Eudoxiæ*. Et pag. 302. loquens de Monasterio S. Agapiti dicit fuisse *juxta titulum Eudoxiæ*, de quo tamen in eadem Vita pag. 290. ait *quod ponitur ad Vincula*.
[*d*] Pag. 701. t. XI. Concil. Labbei, quo loco nominatur *Petrus Presbyter tituli Eudoxiæ*.
[*e*] Apud Mabillonium in Append. ad t. 4. Annal. n. 32. pag. 705. Paris. 1707.
[*f*] Apud Martene t. 1. Veter. Monum. pag. 645.
[*g*] Apud Christianum Lupum pag. 397. t. 7. oper. Venet. 1726.
(*h*) Exercitat. XI. pag. 713. ubi ita scribit — *Titulum Eudoxiæ ab Ecclesia S. Petri ad Vincula quid fuisse diversum conjectamus*. & pag. 717. generatim, atque universe tradit, Titulos fuisse *ædes Presbyterales Ecclesiis contiguas, in quibus unus, aut plures Presbyteri manerent, Parochi munus exercentes*. At quod ad Titulum Eudoxiæ pertinet, cum apud Anastasium in Vita Leonis III. pag. 276. legimus — *Item fecit vestem in titulo Eudoxiæ super Altare tyriam habentem grypas majores, & duas rotas chrysoclabas cum cruce*, & pag. 287. *& in titulo Eudoxiæ fecit vestem albam, cum periclysi de chrysoclavo* — num hæc, & similia sic accipienda erunt, ut in ædibus Presbyteralibus, seu ad earum ornatum facta esse intelligantur? Non puto. Titulus ergo Eudoxiæ idem est ac Basilica Eudoxiæ, seu S. Petri ad Vincula. Nam & Tituli nomen ad designandas Basilicas millies usurpatum legimus. Videantur Epist. Pii I. ad Justum Viennensem Episcopum pag. 580. t. 1. Concil., Capitulare Caroli Magni lib. 5. cap. 175. pag. 857., & lib. 7. cap. 245. pag. 1076. t. 1. Capitular. Reg. Francor. Baluzii Paris. 1677., Concil. Calchutense anni 787. pag. 635. t. 8. Concil., Rhemense anni 813. cap. 20. pag. 344., Turonense III. cap. 14. pag. 350. t. 9., Namnetense cap. 16. pag. 661., Londoniense an. 1125. cap. 7. pag. 1300. t. 12. Concil., & Guillebertus in Capitol. de interdict. n. 2. pag. 1377. Append. ad tom. 2. Capitular. Regum Francorum. Rectius ergo Pithœus in Glossario ad Libros Capitularium verbo *Tituli* pag. 745. t. 2. Capitular Reg. Franc., Thomasinus Veter. & nov. Discipl. part. 1. lib. 2. cap. 21. n. XI. pag 283. t. 1., & Mabillonius Comment. in Ordin. Roman. cap. 3. pag. 12. & 13. t. 2. Musæi italici, Ecclesiasticos Titulos Ecclesias Parœciales, quibus scilicet animarum cura addicta erat, fuisse animadvertunt. Equidem Voglinus Clericus Emporiensis, qui vixit circa ann. 1381. apud Joannem Lamium in notis ad Chronicon Leonis Urbevetani pag. 11. t. 2. Delic. Erudit., dum recenset Titulos Presbyterorum Cardinalium Urbis, XXIX. fuisse dicit, addito Titulo Eudoxiæ, & numerato Titulo S. Petri ad Vincula. Sed nulla ea in re Emporiensi huic Clerico fides. Auctor enim Descript. Basilicæ Vaticanæ apud Georgium in Appendic. ad t. 3. Liturg. Roman. Pontific. n. 2. pag. 554., Petrus Mallius in Ordine Romano cap. 37. pag. 160. t. 2.

(*a*) hæc habet = *Item in titulo Eudoxiæ, videlicet Beati Petri Apostoli ad Vincula, fecit* (Hadrianus) *canistra duodecim, pensantia libras triginta sex* . Quod colligitur etiam ex eo , quod Cardinales , qui olim Templi hujus , ut ajunt, Titulares fuerunt , dum Romanorum Pontificum Diplomatibus subscribebant , modo se *S. Petri ad Vincula* (*b*) nominabant, modo *tituli Eudoxiæ* (*c*), modo *S. Petri ad Vincula tituli Eudoxiæ* (*d*), ut Titulum Eudoxiæ , & Basilicam S. Petri ad Vincula unam , eamdemque Ecclesiam esse , exploratum esse videtur . Jam vero cum Basilica hæc non ea de causa Titulus Eudoxiæ nuncuparetur , quod Sanctæ alicui Eudoxiæ esse dicata , quæ enim Sancta hæc Eudoxia , quæ Romæ Templum sibi dicatum haberet? inde plane conficitur , sic dictam fuisse, quod ab Eudoxia restaurata fuisset . Quo quidem tempore nomen etiam ad Vincula additum illi fuit , quod Scriptores ii fere omnes testantur, qui ab Eudoxia eam exædificatam affirmant. Hi vero sunt Auctor sermonis in Vincula S. Petri , qui legitur in Alcuini Homiliario (*e*) , Codex Palatino Vaticanus CCCCLXX. sæculi X. (*f*), Auctor vitæ S. Cæsarii Martyris Terracinensis (*g*), qui pariter circa X. sæculum vixit (*h*), Lectionarium Basilicæ S. Stephani Bononiæ (*i*), Honorius Augustodonensis (*k*), nam recentiores commemorare nihil attinet , quorum unam eamdemque sententiam esse, jam constat.

VI.

---

t. 2. Musæi Ital. Mabillon. & in Histor. Basilic. Vatican. cap. 7. n. 137. pag. 51. t. 7. Actor. Sanctor. Mensis Junii , Codex Vaticanus apud Baronium ad an. 1057. n. 19. & Constantinum Cajetanum in notis ad Gelasii 2. Vitam n. 18. pag. 381. p. 1. t. 3. Rer. Italicar. , Leo Urbevetanus in Chronic. pag. 28. t. 2. Delic. Erudit. Joann. Lamii , & Nicolaus Signorilis in Catalog. Reliquiar. Urbis fol. 47. Cod. Vat. 3536. numerent solum Vigintiocto Titulos Presbyterorum Cardinalium , nec ita quidem , ut Titulum Eudoxiæ , & Titulum S. Petri ad Vincula tamquam distinctos recenseant, de solo namque Titulo ad Vincula mentionem faciunt, ut nullus propterea esset Titulus Eudoxiæ distinctus a Titulo S. Petri ad Vincula . Hic autem Vigintiocto Presbyterorum Cardinalium , seu Titulorum integer numerus nonnisi sub Callisto III. augeri cœpit, qui anno 1458. novum Titulum addidit , cujus exemplum postea imitati sunt Sixtus IV., Leo X. , Julius III., Paulus IV., & Pius V. ut optime observat Panvinius de Septem Urbis Ecclesiis cap. 2. pag. 25. Romæ 1572. Quid? Cencius Camerarius in Ordine Romano cap. 18. n. 40 pag. 191. t. 2. Musæi Italici, recensens singulas Ecclesias Urbis, nominat quidem Ecclesiam S. Petri ad Vincula , at nullum Titulum Eudoxiæ ab ea distinctum commemorat . Et Benedictus Canonicus S. Petri in Ordine Romano n. 10. pag. 124. & n. 29 pag. 132. t. 2. Musæi Italic. de eadem loquens, modo *Eudoxiam* , modo *S. Petrum ad Vincula in Eudoxia* appellat .

[*a*] Pag. 269. & pag. 264. ita scribit — *Pariter & Templum Apostolorum , quod appellatur Eudoxia ad Vincula, totam ejus a novo restauravit Ecclesiam* .

(*b*) Constitutioni Leonis VIII. Antipapæ ann. 964. apud Goldastum t. 2. Constitut. Imperial. pag. 36. subscribit *Georgius ad Vincula*. Diplomati Paschalis I . ann. 1030. ad Hugonem Cluniacensem pag. 1828. Biblioth. Cluniac. Martini Martier Paris. 1614. subscribit *Albericus Archiepiscopus Dei gratia Cardinalis S. Petri ad Vincula*. Videantur Diplomata Hadriani IV. t. 1. Bullar. Basilicæ Vatican. pag. 60. & t. 5. Ital Sacr. Ughelli pag. 799. , Alexandri III apud Ughellum t. 1. Ital. Sacræ pag. 1291. t. 2. pag. 215. t. 2. pag. 222. 333. 548. t. 4. pag. 147. 312. 467. t. 6. pag. 328. 708. apud Martene t. 2. Veter. Monument. pag. 1237. & apud Mabillon. in Append. ad t. 6. Annal. pag. 672. edit. Lucæ. Hæc enim omnia subsignavit *Guiglielmus* , seu *Willelmus Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula* .

[*c*] Vide Diplomata Paschalis II. apud Ughellum t. 1. pag. 893. , Callisti II. apud Ughellum t. 4. pag. 855. 857. t. 8. pag. 368. , & Honorii II. apud Ughellum t. 3. pag. 384. quibus subscribit *Benedictus Presbyter Cardinalis tituli Eudoxia*, qui tamen Benedictus subscribens Concilio Lateranensi III. sub Paschali II. anni 1112. t. 12. Concil. pag. 1165. vocat se *B. Petri ad Vincula* . Pandulphus Pisanus in Vita Victoris III. pag. 351. p. 1. t. 3. Rerum Italicar. mentionem facit *Desiderii Presbyteri tituli Apostolorum in Eudoxia* .

(*d*) Vide Diplomat. Clementis III. apud Ughellum t. 4. pag. 472. , & t. 1. Bullar. Basil. Vatic. pag. 73. , Cælestini III. apud Ughellum t. 8. pag. 127. & pag. 412. Anecdot. , nam his subscribit *Petrus Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula tituli Eudoxia* . Item Innocentii III. apud Marten. t. 3. Thesaur. Anecdot. pag. 952. & apud Ughell. t. 2. pag. 222. , & t. 6. pag. 814. , quæ subsignat *Bernardus Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula titulo Eudoxia* .

(*e*) Pag. 280.

(*f*) Fol. 61.

(*g*) Cod. Vatic. 5696. apud Florentin. Exercit. XI. pag. 709.

(*h*) Ita Papebrochius in Analectis de Reliquiis SS. Apostol. Petri , & Pauli §. IX. n. 109. pag. 451. t. V. Act. Sanct. Mensis Junii.

(*i*) Fol. 71. col. 1. ubi postquam retulit Eudoxiam Basilicam nostram construxisse, ait etiam voluisse, *ut de cætero eadem vocaretur Ecclesia ad S. Petrum ad Vincula* .

(*k*) Lib. 3. Gemmæ Animæ cap. 164. pag. 1297. t. 1. Auctar. Biblioth. Patr. Paris. 1610.

VI. At quænam Eudoxia hæc est, quæ Templo huic addidit tantum decus, & nomen? Non ea certe, quæ Arcadii, non quæ Theodosii Uxor fuit, (in quem errorem aliquos nominis similitudo induxit), sed Eudoxia illa, quæ Valentiniani Uxor fuit; omnes enim Scriptores, qui de hac re loquuti sunt, in hoc conveniunt, ut Basilicam nostram fuisse restauratam ab Eudoxia illa, quæ Romæ fuit, affirment. Atqui Eudoxia hæc Romam venit, & ibidem cum Valentiniano pluribus annis (*a*) mansit. Hanc autem Eudoxiam curasse, ut sacra hæc Ædes reficeretur, dum contendo; non Baronio (*b*) tamen, non Quesnello subscribendum censeo, quorum alter id factum putat anno CDXXXIX., alter vero Anno CDL. Leo enim Magnus, qui creatus fuit Pontifex Anno CDXL. die XI. Aprilis (*c*), in Sermone de Machabæis, in quo de Basilica hac nostra loquitur, nullam Eudoxiæ mentionem facit, sed totus in eo est, ut Sixtum Tertium, qui eam ædificaverat, & dedicaverat, commendet. Post Annum ergo CDXXXIX. accidisse oportet, ut restauraretur. Sed non propterea usque ad Annum CDL. res protrahenda est, quod sensisse videtur Quesnellus (*d*). Extat in Appendice Gruteri (*e*) una cum aliis Inscriptionibus, quæ olim certè erant in hoc nostro Templo, consequens Inscriptio:

THEODOSIVS PATER EVDOCIA CVM CONJVGE VOTVM
CVMQVE SVO SVPPLEX EVDOXIA NOMINE SOLVIT.

Quam Inscriptionem nullus dubito in hoc Templo ab Eudoxia fuisse positam, quando idem restituit, & hoc jampridem Viri docti (*f*) animadverterunt. Nam quod de Voto hic dicitur, sic est accipiendum, ut quod in honorem Apostolorum Principis Templum Deo dedicare voverant Theodosius, & ejus uxor Eudocia, si filia, quæ Eudoxia nominabatur, Valentiniano nuberet, post Nuptias cum Valentiniano celebratas, id perficiendum Eudoxia curaverit. Eudociam ejusmodi vota Deo nuncupasse, & hanc ob rem, tradit Socrates lib. VII. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 47. Hic autem magnopere considerandum est, quo tempore Inscriptio hæc posita, Theodosii conjugem Eudociam nondum regiis honoribus, ac Ministris fuisse spoliatam (*g*); non enim fuisset cum Theodosio nominata. Cum igitur dissidium Eudociam inter, ac Theodosium ortum sit an-

(*a*) Vide Leg. Novell. in fine t. 6. Cod. Theodos. Leg. Theodos. tit. 20. pag. 10., tit. 24. pag. 12., tit. 27. pag. 13., tit. 35. 36. pag. 16., tit. 45. 46. pag. 19., Leg. Valentin. tit. 2. 3. 4. pag. 21., tit. 5. pag. 23., tit. 7. pag. 24., tit. 9. pag. 25., tit. 10. 11. pag. 26., & tit. 12. pag. 27. edit. Gothofredi Lugduni 1665.

(*b*) Ad ann. 439. n. 7. Baronio consentit Petavius lib. 13. de Doct. Temporum pag. 452. t. 2. Veronæ 1735. Posteria tamen *Roma Sagra, e Moderna* pag. 92. Roma 1725. & Auctor. libri *Roma Moderna distinta per Rioni* pag. 78. t. 2. Roma 1741., anno 440. Basilicam nostram ab Eudoxia extructam affirmant.

(*c*) Ita Quesnellus in Append. ad Opera S. Leonis Diss. I. de Vita & rebus gestis ejusdem S. Pontificis ad an. 461. n. 12. pag. 187. & sequent. Baronius tamen ad an. 440. n. 2. vult renunciatum fuisse Pontificem die 10. Maj. Pagius vero die 22. Septembris in Critic. ad an. 440. n. 2. Blanchinius denique in notis Chronolog. ad Vitam S. Leonis pag. 145. t. 3. Anastas. Biblioth. die 6. ejusdem Mensis.

[*d*] Vide Monit. ad Serm. 82 S. Leonis pag. 169. t. 1. Oper. S. Leonis Lugduni 1700., & confer cum iis, quæ habet Dissertat. 1. de Vita & rebus gestis ejusdem S. Leonis ad an. 450. n. 5. pag. 153. t. 2. [*e*] Pag. MCLXXIV. n. 6.

[*f*] Baronius ad an. 439. n. 7., Matthæus Raderus Aula Sancta cap. 12., & alii.

[*g*] Marcellinus Comes in Chronic. pag. 26. *Eudotia nescio quo excita dolore Saturninum protinus obtruncavit: statimque mariti Imperatoria nutu, regiis spoliata ministris, apud Æliam civitatem moritura remansit.*

anno CCCCXLVIII. (*a*), non falso dixerim ante hunc annum Basilicam fuisse restitutam, quod fortasse anno CCCCXLI. contigisse puto. Habete igitur ordinem, rationemque temporis explicatam. Nuptiæ Eudoxiæ, & Valentiniani celebratæ sunt anno CCCCXXXVII. (*b*). Anno CCCCXXXVIII. eadem Eudoxia cum Valentiniano Ravennam ingressa est (*c*). Anno CCCCXXXIX., aut saltem initio sequentis anni Romam venit (*d*). Nolo eam statim de solvendo voto cogitasse, at, cur in annum usque CCCCL. pia fœmina distulerit, causa nulla afferri potest. Est igitur maxime probabilis ea sententia, quæ statuit Basilicam nostram anno CCCCXLI. exædificatam iterum ab Eudoxia.

§. III.

A quo Hierosolymitana Petri Vincula delata Romam.

I. QUæ quidem Eudoxia sponsa Valentiniani, & Theodosii Eudociæque filia, quod Templum jam a Sixto III. exædificatum, & eversum jam, dirutumque refecerit, videtur ex voto fecisse: quod autem nova inducta appellatione *ad Vincula* nominaverit, quam putemus aliam causam fuisse, nisi quod illuc Romana, & Hierosolymitana Petri Vincula tum potissimum fuerint importata? Hic autem video delabi me ad quæstionem subdificilem, atque perobscuram, a quo nimirum, & quando Romam usque delata fuerint Hierosolymitana Vincula, quæ Sexto Ecclesiæ sæculo in hac sacra Æde fuisse, jam ostendimus. Nam etsi de Romanis Catenis, quin eo tempore in hac Basilica positæ fuerint, nullus relinquitur dubitandi locus (*e*), sive illæ ex alio Templo in nostrum translatæ, sive in eodem Templo jam ab antiquissimo tempore custoditæ, & quamdiu illud in ruinis jacuit alium in locum asportatæ, deinde vero, cum illud refecit Eudoxia, ibi iterum collocatæ fuerint: attamen de Hierosolymitanis Catenis id incertum, atque obscurum videtur esse, in tanta hominum ea de re dissensione, atque opinionum varietate. Nam antiqua fuit sententia ab Octavo usque Ecclesiæ sæculo monumentis tra-

(*a*) Pagius in Critic. ad an. 446. n. 5., & ad an. 448. n. 16.

(*b*) Ita Marcellinus in Chronic. pag. 24., Cassiodorus in Chronic. pag. 658. edit. Genevæ 1650., D. Prosper in Chronic. pag. 746. Paris. 1711., Baronius ad an. 437. n. 14., Pagius ad eumdem annum n. 3., & Muratorius Annali d' Italia ad ann. 437. pag. 106. t. 3. Socrates tamen lib. 7. cap. 44., quem sequitur Valesius in notis, & Gothofredus in Chronolog. Cod. Theodosiani pag. 178. t. 1. has nuptias Isidoro, & Senatore Consulibus fuisse celebratas affirmat, hoc est anno 436.

[*c*] Marcellinus in Chronic. pag. 24. ad Consulat. Theodosii XVI., & Fausti, seu ad an. 438. *Valentinianus Imperator cum Eudoxia uxore Ravennam ingressus est.*

(*d*) Videantur Leges novellæ in fine t. 6. Cod. Theodosian. Leg. Theodos. tit. 25. pag. 13., tit. 39. 40. 41. pag. 17., & Tillemontius Histoir. des Emper. t. 6. in Vita Valentiniani III. art. 17 pag. 213.

(*e*) Romanas D. Petri Catenas in hac Basilica eo tempore collocatas fuisse, quo illam extruxit Eudoxia, tradunt Auctor sermonis de Vinculis S. Petri, qui legitur in Homiliario Alcuini pag. 681., Joannes Belethus in Explicat. Divinor. Offic. cap. 141., Lectionarium Basilicæ S. Stephani Bononiæ fol. 71. col. 1., Durandus lib. 7. Rational. cap. 19., Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 3., Auctor. Histor. de Vinculis S. Petri apud Boninum Mombritium t. 2. fol. 224., Martyrologium Bruxellense ad diem 1 Augusti pag 441. Auctor. ad Usuard. t. 7 Actor. SS. Mensis Junii, Baronius ad an. 439. n. 7., Ugonius Stazioni di Roma fol. 51., Pancirolus Tesori Nascosti di Roma pag. 210., aliique plures.

tradita, Hierosolymitana Petri Vincula Romam delata, nostroque in Templo collocata fuisse ab Eudoxia, quando illud refecit. Hoc legitur in Inscriptione, quæ olim in hac sacra Æde extabat, & quam alibi attulimus. Habet idipsum vetus illa Scriptura Sæculo XII. exarata, cujus meminit Papebrochius (*a*). Sunt eadem in re consentientes Scriptores rerum antiquarum; nempe ex sæculo VIII. Auctor Sermonis in Vincula S. Petri, qui extat in Homiliario Alcuini (*b*): ex sæculo X. Auctor Annotationum de Festis Sanctorum, qui in Bibliotheca Palatina Vaticana servatur Cod. CCCCLXX. (*c*), nam eo seculo hic Codex editus est: ex sæculo XI. Sigebertus Monachus Gemblacensis (*d*), & Auctor Chronici Monasterii Mellicensis (*e*): ex XII. Joannes Belethus (*f*), & Gervasius Tilberiensis (*g*): ex XIII. Guillelmus Durandus (*h*), Martinus Minorita (*i*), & Ricobaldus Ferrariensis (*k*): ex XIV. Hermannus Gygas (*l*), & Petrus de Natalibus (*m*): ex XV. denique (nam consequentium scriptorum seriem velle describere nimis longum foret) Andreas Ratisponensis (*n*), Auctor Magni Chronici Belgici (*o*), & Joannes Schiphowerus in Chronico Archi-Comitum Oldenburgensium (*p*), quod edidit Henricus Meibomius. Quid de vetustis Lectionariis, & Breviariis loquar? Scilicet ab Eudoxia Romam Catenas delatas tradunt Lectionarium Basilicæ S. Stephani Bononiæ (*q*) quod anno MCLXXX. scriptum est, Breviarium M. S. sæculi XIV. ad usum Patrum Ordinis Prædicatorum, quod in Bibliotheca Casanatensi (*r*) extat, Breviarium Palatinum Vaticanum DXVI. (*s*) sæculi pariter XIV., Lectionarium M. S. Collegii S. Clementis Hispanorum Bononiæ (*t*), Breviarum Canonicorum Regularium S. Augustini (*u*) sæculo XIV. exaratum, Breviarium Vaticanum 4751. sæculi XV., Breviarium Basileense anni MCCCCLXXVIII., & anni MD., Romanum S. Pii V. (*x*), & Gallicanum Vetus, quod Venetiis editum est anno MDXX.

II. Verum etsi Auctores hi in eo conveniant omnes, quod Eudoxia Romam Petri Catenas detulerit, attamen inter se dissentiunt, quæ ista fuerit Eu-

(*a*) In Analectis de Reliquiis SS. Apostol. Petri, & Pauli § IX. n. 112. pag. 451. t. V. Actor. Sanct. Junii.
(*b*) Pag. 880.
(*c*) Fol. 61. ubi hæc leguntur — *Eudoxia Augusta orationis causa Hierosolymam tendit, cui Judæus quidam Catenas Petri obtulit, quas illa Romam attulit, & Ecclesiam in honorem S. Petri dedicavit, & inibi hæc Vincula collocavit*.
(*d*) In Chronico ad ann. 438. pag. 496. t. 1. Rer. Germanicar. Pistorii.
(*e*) Ad an. 438. pag. 190. t. 1. Scriptorum Rerum Austriacar. Hieronymi Pez, edit. Lipsiæ 1721.
(*f*) In Explication. Divin. Offic. cap. 141.
(*g*) In Otiis Imperialib. Decis. 2. cap. 16. pag. 928. t. 1. Rer. Brunsvicens. Leibnitii, edit. Hanoveræ 1707.
(*h*) Lib. 7. Rational. Divin. Offic. cap. 19.
(*i*) In Chronic. pag. 1588. t. 1. Corp. Historic. Medii Ævi Eccardi edit. Lipsiæ 1723.
(*k*) In Compilat. Chronologic. pag. 1256. t. 1. Corp. Histor. Eccardi.
(*l*) In Chronico Universali pag. 55. edit. Lugdun. Batav. 1743.
(*m*) Lib. 7. Catalog. Sanct. cap. 3.
(*n*) In Chronico pag. 1986. t. 1. Corp. Historic. Eccardi.
(*o*) Pag. 25. t. 2. Rer. Germanic. Pistorii edit. Burcardi Struvii Ratisbonæ 1726.
(*p*) Pag. 128. t. 2. Rer. Germanic. edit. Helmstadii 1688.
(*q*) Fol. 70. col. 4.
(*r*) Fol. 326. Cod. D. IV. 20.
(*s*) Fol. 206.
(*t*) Fol. 151. col. 3.
(*u*) Extat Breviarium istud in elegantissima, magnificentissimaque Bibliotheca, quam comparavit Cardinalis Passioneus vir sane eruditus, qui & librorum omnium, & rerum, quæ in libris continentur, notitiam habet maximam, ac pene incredibilem.
(*x*) Tradit Gavantus Thesaur. Sacror. Rituum sect. 7. cap. 10. pag. 725. t. 3. edit. P. Merati, Pium V. Officio diei I. Augusti addidisse Lectiones proprias II. nocturni, quæ quidem lectiones illæ eædem sunt, quæ etiam modo leguntur.

Eudoxia, (nam plures eodem tempore Eudoxias fuisse constat). Eorum enim aliqui (*a*) ab Eudoxia, quæ fuit uxor Arcadii, alii (*b*) ab Eudocia Theodosii coniuge id factum narrant; nonnulli (*c*) ab Eudoxia uxore Valentiniani III.; quidam (*d*) ab Eudoxia hujus filia, quæ nupta est Hunnerico Genserici Regis Vandalorum filio; neque desunt, qui Eudociam Theodosii conjugem eas misisse ad filiam Eudoxiam Valentiniani uxorem putant, quæ recentiorum Scriptorum (*e*) sententia est.

III. Sed cum aliis sic, aliis secus videatur, iccirco statim prodeunt, qui, ut omnis, credo, tollatur error, nihil non fictum, & commentitium esse arbitrentur. Basnagius (*f*) confidenter, ut solet, quod Eudoxia Romam detulerit Hierosolymitanas Petri Catenas, *somnium* esse dicit *ex eburnea porta*. Basnagium vero sequitur Joannes le Sueurius in Historia Ecclesiæ, & Imperii (*g*). Calvisius (*h*) autem, Bailletus (*i*), Tillemontius [*k*], & Quesnellus [*l*[ita disputant, sibi ut rem admodum suspectam fuisse satis ostendant. Nam quî Eudoxia uxor Arcadii Petri Catenas Hierosolyma Romam detulit, quæ nec Hierosolymis, nec Romæ fuisse sane dicitur? Eudoxia vero uxor Theodosii, licet Hierosolymam profecta sit [*m*], atque ibi varia Sanctorum monumenta acceperit [*n*], nec ipsa tamen Romam venit. Eudoxia quidem Valentiniani coniux in Urbem venit, ubi plures annos commorata est, at Hierosolymam nunquam perrexit; quo licet profecta sit Eudoxia illius filia, paulo tamen post illic est mortua, ut scribit Theophanes in Chronographia [*o*]; ex quo fit, nec illam Romam Petri Vincula deferre potuisse. Qui vero ab Eudocia Theodosii Conjuge ad filiam Eudoxiam uxorem Valentiniani Catenas missas dicunt, aliquid fingunt, quod probabile videri posset, si veterum testimonio,

atque

(*a*) Ita Auctor Sermonis in Vincula S. Petri, qui legitur in Homiliario Alcuini, Lectionarium Basil. S. Stephani Bononiæ, Gervasius Tilbericensis, & Martinus Minorita locis supra citatis, quibus adde Breviarium Palatinum Vaticanum DXIII. sæc. XIV. fol. 259., Lucium Faunum Antichità di Roma lib. 4. pag. 106., Andream Fulvium Antichità di Roma lib. 2. pag. 70., Flavium Blondum Roma ristaurata lib. 2. pag. 31., & Breviarium juxta finem sæculi XV. editum, quod extat in Bibliotheca Card. Passionei.

(*b*) Ita Sigebertus, Joannes Belethus, Durandus, & Auctor Chronici Belgici locis jam citatis.

(*c*) Ita Ricobaldus Ferrariensis, Petrus de Natalibus, Andreas Ratisponensis, Breviarium M. S Canonicorum Regularium, Breviar. M. S. Ordinis Prædicatorum, Breviar. Basileense, & Gallicanum, quæ supra allegavimus. Quibus addendi Auctor Histor de Vinculis S. Petri apud Boninum Mombritium t. 2. Vit. Sanctor. fol. 124., Jacobus de Voragine in Legenda cap. 105., & alii.

(*d*) Ita Joannes Schiphovverus:

(*e*) Ita Baronius ad an. 439. n. 4., Ugonius Stazioni di Roma fol. 51., Severanus sette Chiese di Roma part. 1. pag. 140., Torrigius Trofei di S. Pietro cap. 22. pag. 127., Matthæus Raderus Aul. Sanct. cap. XL., Donatus lib. 4. de Urbe Roma cap. 3. pag. 465., Labbeus in Chronolog. Historic. ad an. 439. pag 313. t. 1. Paris. 1670., Pancirolus Tesori nascosti di Roma pag. 310., Godeau Histoir. Ecclesiastiq. lib. 2. n. 29. pag. 360. t. 3., Florentinius in notis ad Martyrolog. Eccles. Occident. ad diem 1. Augusti pag. 695., Papebrochius Ephemerid. Græc. Mosch. pag. 9. t. 1. Act. Sanct Maii, Breviarium Romanum, Bituntinum anni 1712., Bellovacense anni 1741., Boldettus Osservazioni sopra i Cimiteri de Martiri lib. 1. cap. 60. pag. 313. aliique.

(*f*) In Annalibus ad an. 44. n. 14., & ad an. 439. n. 3., & in Exercitat. Historic. pag. 455.

(*g*) Histoir. del' Eglise & dell' Empire ad ann. 438. pag. 352. & 353. t. 4. edit. Genevæ 1686.

(*h*) In Chronolog. ad an. 439. pag. 549.

(*i*) Vit. Sanct. ad diem 1. Augusti n. 1. pag. 3. t. 8.

(*k*) Nota 45. In Vit. S. Petri pag. 537. t. 1

(*l*) Dissertat. I. de Vita, & rebus gestis S. Leonis Magni ad an. 450. n. 5. pag. 153. t. 2. Oper. S. Leonis.

(*m*) Eudocia bis Hierosolymam profecta est. Primo quidem anno 438. Secundo anno 448. Vide Socratem lib. 7. Histor. cap. 47., Evagrium lib. 1. Histor. cap. 21., Marcellinum in Cronic. pag. 24., Baronium ad ann. 438. n. 16., Valesium in notis ad Evagrium pag. 64., Pagium ad an. 438. n. 5. & 446. n. 5. & 448. n. 10., & Muratorium Annali d' Italia ad an. 448. pag. 131. t. 3.

(*n*) Vide Theodor. Lector. lib. 1. Histor. Ecclesiast. pag. 239., & Marcellinum in Chronic. pag. 24.

(*o*) Pag. 82. edit. Venet.

atque auctoritate niteretur. At quis est inter veteres Scriptores, qui rem ita fuisse testetur? Quid? quod apud veteres Scriptores, qui ante Octavum sæculum floruerunt, & cæteris probatiores habentur, nulla de delatis Romam ab Eudoxia Catenis fit mentio? Socrates, Sozomenus, Evagrius, Marcellinus ne verbum quidem. Immo apud Venerabilem Bedam, quem Scriptorum plurimi [*a*], modo quos diximus, suæ opinionis auctorem, & testem vocant, mirum de hac re silentium. Nam quod in antiqua Legendaria, & Breviaria hæc Historia relata sit, quid hæc valent, cum in Legendariis, & Breviariis res hæc diverso modo referatur, plurimæque narrationes adiungantur plenissimæ ineptiarum? Accedit, quod nulla fit mentio de Catenis Romam ab Eudoxia delatis in pluribus vetustis Legendariis, & Breviariis, quæ tamen Officium S. Petri ad Vincula, quod Kalendis Augusti celebratur, exhibent. Nulla in Homiliario sæculi XI., quod extat in Bibliotheca Casanatensi [*b*]: nulla in Breviario ad usum Ecclesiæ Hierosolymitanæ ejusdem sæculi, quod penes se habet Joseph Palma Lucensis Archiepiscopus, quem honoris causa nomino: nulla in quatuor Breviariis MS. sæculi XIV. [*c*], quæ extant in Bibliotheca Ottoboniana: nulla in duobus Lectionariis (*d*) Bibliothecæ Casanatensis ejusdem fere temporis, & duobus Breviariis M.S. ejusdem sæculi, quæ apud se tenet Trombellius noster vir doctus in primis, atque eruditus: nulla denique in Breviariis Curiensi anni MCCCCLXXXX., Augustano anni MCCCCLXXXXV., Lugdunensi anni MCCCCLXXXXVIII., Olomucensi anni MCCCCLXXXXIX., Trajectensi anni MDVIII., Cardinalis Quignonii, Romano ante correctionem Pii V. edito, Carthusiano anni MDLXXXVII., Nivernensi anni MDCCXXVII., Rotomagensi anni MDCCXXVIII., Meldensi anni MDCCXXXIV., Parisiensi anni MDCCXXXVI., & Lugdunensi anni MDCCXXXVIII. Hæc & similia contra afferunt, quibus tota hæc de delatis Romam ab Eudoxia Catenis narratio commentitia videtur.

IV. Ego vero etsi tot rationum momentis, tantaque Scriptorum auctoritate commoveor, ut debeo, plurimum; tamen adduci non possum, ut sententiam illam, quæ Eudoxiæ Valentiniani III. uxoris tempore delatas Romam Hierosolymitanas Petri Catenas statuit, decem & amplius sæculorum vetustate corroboratam, pervertere, ejusdemque sententiæ Auctores, nisi in re manifesta deprehensos, tamquam vanos, ineptos, falsos condemnare velim: sive postea Eudoxia ipsa Catenas secum detulerit cum Romam venit, sive postea illas ad eam miserit Eudocia ipsius mater; quod cum obscurum atque incertum sit, nihil statuendum existimo. Ego enim sic disputo: Sexto Ecclesiæ sæculo Hierosolymitana Petri Vincula Romæ fuisse accepimus. Res hæc testatior, quam ut oratione indigeat. Atqui sæculo præcedenti Eudoxia sacram nostram ædem iterum ædificasse, & quod caput est, ad Vincula appellasse perhi-

(*a*) Lectionarium Basilicæ S. Stephani Bononiæ, Durandus, Petrus de Natalibus, Lectionarium Collegii S. Clementis Bononiæ, & alii Scriptores.
(*b*) Cod. D. I. 7.
(*c*) Cod. 543. 544. 546. 559.
(*d*) Cod. D. I. I., & D. I. IV.

hibetur;non falſo igitur dixero,ipſam eamdem Eudoxiam,quæ ædificavit Templum, quæ novam appellationem induxit, Hieroſolymitana Petri Vincula in hac Baſilica poſuiſſe, quæ vel ipſa ſecum detulit cum Romam venit, vel ad eam,cum jam Romæ eſſet, miſit illius mater Eudocia. Nam Catenas iſtas aliquem Romam deportaſſe negari non poteſt; interim vero id ab Eudoxia factum Scriptores teſtantur. At enim quænam Eudoxia hæc fuerit,Scriptores iidem minime conveniunt. Quid hoc tandem, ſi Eudoxiam fuiſſe, quæ deferendas curaverit, non diſſident? Non re igitur diſſident, ſed nomine. An eſt in quavis hiſtoria quiſquam adeo hoſpes, & peregrinus, ut neſciat quot plerumque errores crearit, quot turbas ediderit nominis ſimilitudo? Nonne Hieronymus, nominis Arii ſimilitudine deceptus, putavit [a] Arium hæreticum illum, qui tot in Eccleſia turbas excitavit, in communionem a Patribus Concilii Nicæni fuiſſe receptum? Cum tamen non hunc, ſed alium eodem nomine nuncupatum, fuiſſe conſtet [b]? Nonne Prudentius [c] Hippolytos tres fecit unum, cui uni, quæ tribus Hiſtorici tribuunt,eadem nominis ſimilitudine deceptus [d], adſcribere non dubitavit? Quod ſi hanc quaſi veniam Scriptoribus admodum eruditis damus; cur non idem illi antiquitati concedimus, quam nondum uſus, ac doctrina immutaverat? Sed a pleriſque Scriptoribus, qui ante VIII. ſæculum floruerunt, de Hieroſolymitanis Petri Catenis Romam delatis nihil omnino eſt memoriæ hominum,literiſque commendatum. Quod ſi qui opponunt, iis reſpondere poſſumus: earum rerum, quas illi ſilentio præterierunt, libros ſane infinitos poſſe confici. Fortaſſe majora erant, quæ tractarent, atque conſtabilirent, neglectis iis, quæ ſcriptione minus digna videbantur; fortaſſe pauci illi, qui ante Octavum ſæculum ſcripſerunt, rem hanc ignorarunt. Multa dici poſſunt, quamobrem Auctoris alterius ſilentium, non alterius lædat auctoritatem, & fidem. Eſſet enim admirabilis quædam licentia, vel potius miſerabilis inſcientia argumentandi, ſi quod Auctores aliqui tamquam verum ponunt, id falſum eſſe conficiamus,propterea quod alii non negant illi quidem,ſed tacent.Oppono igitur Auctoribus, qui tacent, eos, qui narrant Hieroſolymitana Petri Vincula Romam ab Eudoxia delata. Breviariis, & Lectionariis, in quibus nulla hujuſce translationis mentio, oppono ea, in quibus diſerta fit commemoratio. Opinioni demum recentiorum, qui hæc tamquam vana, futilia, inepta reiiciunt, oppono ſententiam illorum, qui VIII. Eccleſiæ ſæculo, & conſequentibus temporibus floruerunt.

§. IV.

(a) In Dialogo contra Luciferianos pag. 301. t. 4. Oper.
(b) Vide Natalem Alexandrum Diſſert. 16. ſæc. IV. art. 2. p ag. 238. edit. Pariſ. 1699.
(c) Hymno 4. Periſtephanon pag. 91. & ſequent. edit. Hanoviæ 1613.
(d) Videantur Baronius in notis ad Martyrologium Romanum ad diem 30. Januarii, & 12. Auguſti, Gaſpar Sagittarius de Cruciatibus Martyrum cap. 12. pag. 141., Bollandus t. 2. Actor. Sanctor. Januarii pag. 1027., Stephanus le Moyne Prolegomen. ad Varia Sacra pag. 31., Stephanus Camillardus in notis ad Prudentium pag. 279. n. 7. Chriſtophorus Cellarius in notis ad hymn. XI. Prudentii, & Jacobus Baſnagius Animadverſ. de S. Hippolyto §. III. t. 1. Lection. Antiquar. Canilii pag. 4.

§. - I V.

De Festo ad Vincula die.

I. QUa opinione, ut ego arbitror, moniti Majores nostri, in Sacris, cæremoniisque instituendis sapientissimi, voluerunt, ut Kalendis Sextilibus anniversarius ageretur dies ad memoriam Petri e carcere Hierosolymitano educti divinitus, non sine quadam honorificentissima illarum commemoratione Catenarum. At quorsum hæc in nostra Urbe Hierosolymitani carceris, & Catenarum mentio, nisi ea valuisset opinio, Hierosolymitana Petri Vincula in Urbem delata, atque in sacra nostra Æde collocata? Et sane dici non potest, ex quo festus hic dies Romæ primum agi cœpit, quam brevi tempore religio illius ad omnes fere Ecclesias late manaverit. Quamobrem solemne hujus diei officium non solum in Gregorii Magni Antiphonario [*a*], ejusque Sacramentariis, a Pamelio [*b*], Angelo Rocca [*c*], & Hugone Menardo (*d*) editis, legitur; verum & in Lectionario Missæ (*e*), & Capitulari Evangeliorum (*f*), quæ in manus hominum emisit Cardinalis Thomasius. Reperitur etiam in alio Capitulari Evangeliorum antiquissimo, a celeberrimo Georgio evulgato [*g*], in Sacramentario Reginæ Svecorum CCCXXXVII., Sacramentario Palatino Vaticano CCCCLXXXXV., ac Missali Plenario Vaticano MMMMDCCLXX., in quo titulus non occultat quidem barbariem, atque inscitiam temporum illorum, at declarat vetustatem religionis = *Sanctum Petrum in Vincula, Catenæ ejus, & alii Sancti*. Quid vetustius Kalendario Germanico Beckii [*h*]? quid illo Frontonis [*i*], & Allatii (*k*)? quid Corbejensi (*l*) jussu Ratoldi Abbatis edito? At in his omnibus diserta hujusce festi diei mentio; æque ac in Anglicano (*m*), Stabulensi (*n*), Verdinensi [*o*], Lirensi [*p*], & Vaticano sæculi XI. [*q*]. Adde Martyrologia, Romanum in primis vetus (*r*), ab Heriberto Rosweido evulgatum, quod Gregorii Magni ætate editum creditur; Antiquissimum Ecclesiæ Occidentalis (*s*), à Florentinio publicatum; Bedæ [*t*] item, Usuardi [*u*], Wandalberti [*x*], Adonis [*y*], Gelo-

(*a*) Pag. 705. p. 1. t. 3. Oper. (*b*) Pag. 322. t. 2. Liturgic. Latin. edit. Coloniæ 1609.
(*c*) Pag. 132. t. V. Operum Gregor. Magni edit. Romæ 1593. (*d*) Pag. 117. p. 1. t. 3. Oper. S. Gregor. edit. Parif. 1705.
(*e*) Pag. 122. Antiq. Libr. Missar. edit. Romæ 1691. (*f*) Pag. 188. Antiq. Libr. Missar.
(*g*) In Append. ad tom. III. Liturg. Roman. Pontific. n. 2. pag. 271.
(*h*) Kalendarium istud, quod Beckius *Martyrologium Ecclesiæ Germanicæ pervetustum* inscripsit, editum fuit Augustæ Vindelicorum anno 1687. Illud vero sæculo VII. exaratum credit idem Beckius cap. 3. §. IX. pag. 27.
(*i*) Pag. 188. Epistol. & Dissertat. ejusdem Frontonis edit. Veronæ ann. 1733.
(*k*) Extat. n. 37. Dissertat. de Dominic. & Hebdomadib. Græcor. pag. 1491. Consension. Oriental. & Occidental. Ecclesiæ ejusdem Allatii edit. Coloniæ Agrippinæ 1648. Tradit autem Allatius, quod prædictum Kalendarium ante 900. annos editum fuit. (*l*) Pag. 1600. t. 3. Thesaur. Anecdot. Martene.
(*m*) Pag. 655. t. 6. Vet. Monum. Marten.
(*n*) Pag. 673. t. 6. Veter. Monum. Marten. (*o*) Pag. 681. t. 6. Vet. Monum. Marten.
(*p*) Pag. 1612. t. 3. Thes. Anecdot. Marten. (*q*) Pag. 699. Append. ad Martyrolog. Adonis edit. Georgii.
(*r*) Pag. 15. edit. Antuerpiæ 1613. (*s*) Pag. 692. (*t*) Pag. 27. t. 2. Actor. Sanct. Mensis Martii.
(*u*) Pag. 439. t. VII. Act. SS. Mensis Junii. (*x*) Pag. 50. t. 2. Spicileg. D'Achery. (*y*) Pag. 367. edit. Georgii.

lonense [*a*] anno circiter DCCCIV. conscriptum, Ottobonianum (*b*) sæculi X., Fuldense [*c*] ejusdem fere temporis, Richenoviense (*d*], Augustanum [*e*], Turonense (*f*), Labbeanum (*g*), Autissiodorense [*h*], & Senonense (*i*). Et ne ommittam eos, qui rituum Ecclesiasticorum diligentissimi Scriptores fuerunt: memorant insuper diem festum hunc Lanfrancus in suis Statutis (*k*), Udalricus libro I. *de Antiquis Consuetudinibus Monasterii Cluniacensis* (*l*), Guido *in Disciplina Farfensi* (*m*), Heymo Hirsaugiensis *in Vita B. Wilhelmi Abbatis* (*n*), & Auctor *Consuetudinum Monasterii Divionensis* (*o*).

II. Immo, quod plane reticendum non est, pluribus in locis festus hic dies non solum a Clero, sed & a Populo solemni religione agebatur. Cujus rei testis est Radulphus Tungrensis (*p*), qui inter festos ex veteri consuetudine actos, atque institutos dies hunc recenset. Sane in Kalendario Germanico Beckii dies festus ad Vincula iisdem rubris characteribus notatur, quibus dies festus S. Laurentii, S. Bartholomæi, & S. Paulini Episcopi Trevirensis; quod argumento esse debet, ea in Ecclesia, quæ Kalendario illo utebatur, majorem in modum fuisse celebratum. Quid? Concilium Oxoniense anni MCCXXII. (*q*), Wigorniense anni MCCXL. (*r*), & Exoniense anni MCCLXXXVII. (*s*) dum recensent festos maxime recolendos dies, quibus erat plebi a servili munere interdictum, annumerant Vinculorum diem. In Ecclesia pariter, & Diœcesi Bajocensi hoc die plebi non licebat servilia munia exercere, ut constat ex Synodo Bajocensi anni MCCC. (*t*). Qui mos vigebat etiam in Ecclesiis, & Diœcesibus Constantiensi (*u*), Lexoviensi (*x*), Rotomagensi (*y*), Carnotensi (*z*), Coloniensi (*aa*), Rhemensi (*bb*), Redonensi (*cc*), Nannetensi (*dd*), Pictaviensi (*ee*), Æduensi (*ff*), Cadurcensi (*gg*) Leodiensi (*hh*), & Trecorensi. Et quidem cum in Ecclesia Trecorensi eo die feriæ fuissent intermissæ, ut rursus fierent statutum est anno MCCCCLVII., ut constat ex Statutis Synodalibus hujus Ecclesiæ, in quibus cap. 5. (*ii*) hæc leguntur = *Insuper festum B. Principis Apostolorum ad Vincula nuncupatum, alias*

(*a*) Pag. 33. t. 2. Spicileg D'Achery. (*b*) Pag 684. Append. ad Martyrolog. Adonis edit. Georgii.
(*c*) Pag. 667. Append. ad Martyrolog. Adonis. (*d*) Pag. XI. t. VII. Actor. Sanct. Junii.
(*e*) Ibidem pag. 20. (*f*) Pag. 1588. t. 3. Thesaur. Anecdot. Martene.
(*g*) Pag 27. t. VII. Act. SS. Junii. (*h*) Pag. 714. t. VI. Veter. Monum. Martene.
(*i*) Pag. 45 t. 7. Act. SS. Junii. (*k*) §. III. pag. 535. tom. 2. de Antiquis Monachor. Ritibus Marten. edit. Lugdun. 1690.
(*l*) Cap. XI. n. 5. pag. 539. t. 2. de Antiq. Monach. Ritibus.
(*m*) Cap. 21. pag. 64. Vet. Disciplin. Monastic. Parisiis 1726.
(*n*) N. 25. pag. 735. t. 9. Actor. Sanctorum Ordin. S. Benedicti Mabillonii edit. Lucæ.
(*o*) Cap. 5. n. 5. pag. 541. t. 2. de Antiq. Monach. Ritibus.
(*p*) Proposit. 17. pag. 1139. t. 5. Auctar. Biblioth. Patr. Parif. 1610.
(*q*) Cap. 8. pag. 1070. t. XIII. Concil. Labbei edit. Venet.
(*r*) Pag. 259. t. 2. Concil. Angliæ Henrici Spelmanni Londini 1664.
(*s*) Cap. 23. pag. 1046. t. 14. Concil. Labbei.
(*t*) Cap. 24. pag. 240. p. 2. Concil. Provinc. Normann. Guglielmi Bessin Rothomagi 1717.
(*u*) Videatur Decretum Gaufridi Episcopi Constantiensis anni 1487. pag. 574. p. 2. Concil. Normann.
(*x*) Videantur Statuta Synodalia Joannis de Venur Episcopi Lexoviensis anni 1505. pag. 499. p. 2. Concil. Normann.
(*y*) Vide part. 1. Concil. Normann. pag. 168. & 192.
(*z*) Synodus Carnotensis anni 1489. apud Thiers de Festorum dierum Imminutione cap. 23. pag. 120. Lugdun. 1668.
(*aa*) Videantur Sanction. Ecclesiast. Francisci Joverii Episcopi Coloniensis apud Thiers de Festor. dier. Imminut. cap. 24. pag. 128. [*bb*] Constitut. Synodal. Eccles. Rhemens. apud Thiers cap. 24. pag. 137.
(*cc*) Thiers cap. 25. pag. 141. [*dd*] Thiers cap. 25. pag. 141. [*ee*] Thiers loco citato pag. 148.
(*ff*) Statut. Synodal. ann. 1468. cap. 61. pag. 519. t. 4. Thes Anecd. Martene.
(*gg*) Stat. Synod. ann. 1289. cap. 31. pag. 755. t. 4. Thes. Anecd. (*hh*) Stat. Synod. ann. 1287. cap. XI. pag. 852. citati t. IV.
(*ii*) Pag. 1156. t. 4. Thesaur. Anecdot. Martene.

alias in dictis nostris Civitate, & Diœcesi coli, & feriari solitum .... legitimis causis sublatum, decernimus a Clero, & Populo in antea Kalendis Augusti coli, & observari debere. Nec dubito, quin Romæ etiam olim eadem solemni religione recoleretur. Nam in Martyrologio Centulensi ad diem 1. Augusti hæc habentur (*a*) = *Romæ ad Vincula S. Petri festivus, & solemnis concursus*. Et Jacobus Gaytanus, qui floruit sub Bonifacio VIII., & Clemente V. *in Ordinario S. Romanæ Ecclesiæ* (*b*) testatur, quod ipsius etiam tempore = *in festo S. Petri ad Vincula non fiebat Consistorium*. In Ecclesia Abrincensi, etsi haud ita religiosus hic esset dies, quemadmodum in aliis Ecclesiis, cautum tamen erat, ut Sacris quisque assisteret, quod legitur in Constitutionibus Synodalibus Roberti Episcopi Abrincensis (*c*).

III. Sed apud Græcos etiam festus Vinculorum S. Petri dies celebris fuit. Agebant vero illum die XVI. Januarii. Id discimus ex Menologio Basilii Macedonis Imperatoris, quod primum a Ferdinando Ughello (*d*), deinde ab Annibale Cardinale Albano editum est, nam in eo ad diem XVI. Januarii hæc legimus (*e*) = *Adoratio S. Catenæ Apostoli Petri, qua propter Christum ab Herode Rege vinctus fuit, & in custodiam conjectus*. Idem legitur in Menologio Græcorum, quod Canisius publicavit (*f*). In Martyrologio vero Metrico Ecclesiæ Græcæ, vulgato a Godofrido Sibero, hæc ad prædictam diem (*g*) extant:

Tuas colendas, Petre, compedes colo:
Hinc solve nexus hos tenaces criminum.

Notatur & hic festus dies in Ephemeridibus Græco-Moschis (*h*) his verbis:

Decimam sextam venerabor Vincula Petri.

Eumdem recenset quoque Manuel Comnenus Imperator in sua Constitutione de Festis (*i*), cui addendum Menologium Chrystophori Mytelenæi. (*k*)

IV. Jam vero observat Papebrochius (*l*), Græcos diem hunc pleno officio celebrasse, & quidem cum duplici Canone. Primi Canonis Auctor videtur Byzas, seu Bysantius. Canon iste Acrostichus est, strophis singulis ad hujus trimetri literas singulas accomodatis:

Vincla devote, Petre, adoramus tua.

Alter S. Josephi Hymnographi nomen inclusum huic Achrostichidi suæ sic præfert:

Petri Catenam versibus cano Joseph.

Hi-

(*a*) In Auctar. ad Usuardum edit. Sollerii pag. 441. t. VII. Act. Sanctor. Junii.
(*b*) Cap. 101. pag. 386. tom. 2. Musæi Italic. Mabillonii.
(*c*) Pag. 263. & 295. p. 2. Concil. Normann. Guiglielmi Bessin.
(*d*) In Anecdot. pag. 325. t. X. Ital. Sacræ.
(*e*) Pag. CXI. t. 2. edit. Urbini 1727.
(*f*) P. 1. t. 3. Lection. Antiq. pag. 413.
(*g*) Pag. 17. edit. Lipsiæ 1727.
(*h*) Pag. 9. t. 1. Act. Sanct. Mensis Maii.
(*i*) Apud Balsamonem Comment. in Nomocanonem Photii tit. 7. cap. 1. pag. 923. t. 1. Biblioth. Juris Canonic. Justelli Paris. 1661.
(*k*) Pag. 476. Martyrol. Eccles. Græcæ Siberi.
(*l*) In Analectis de Reliquiis Sanct. Apostol. Petri & Pauli §. IX. n. 100. pag. 449. t. V. Actor. Sanct. Junii.

lonense [*a*] anno circiter DCCCIV. conscriptum, Ottobonianum (*b*) sæculi X., Fuldense [*c*] ejusdem fere temporis, Richenoviense (*d*], Augustanum [*e*], Turonense (*f*), Labbeanum (*g*), Autissiodorense [*h*], & Senonense (*i*). Et ne ommittam eos, qui rituum Ecclesiasticorum diligentissimi Scriptores fuerunt: memorant insuper diem festum hunc Lanfrancus in suis Statutis (*k*), Udalricus libro I. *de Antiquis Consuetudinibus Monasterii Cluniacensis* (*l*), Guido *in Disciplina Farfensi* (*m*), Heymo Hirsaugiensis *in Vita B. Wilhelmi Abbatis* (*n*), & Auctor *Consuetudinum Monasterii Divionensis* (*o*).

II. Immo, quod plane reticendum non est, pluribus in locis festus hic dies non solum a Clero, sed & a Populo solemni religione agebatur. Cujus rei testis est Radulphus Tungrensis (*p*), qui inter festos ex veteri consuetudine actos, atque institutos dies hunc recenset. Sane in Kalendario Germanico Beckii dies festus ad Vincula iisdem rubris characteribus notatur, quibus dies festus S. Laurentii, S. Bartholomæi, & S. Paulini Episcopi Trevirensis; quod argumento esse debet, ea in Ecclesia, quæ Kalendario illo utebatur, majorem in modum fuisse celebratum. Quid? Concilium Oxoniense anni MCCXXII. (*q*), Wigorniense anni MCCXL. (*r*), & Exoniense anni MCCLXXXVII. (*s*) dum recensent festos maxime recolendos dies, quibus erat plebi a servili munere interdictum, annumerant Vinculorum diem. In Ecclesia pariter, & Diœcesi Bajocensi hoc die plebi non licebat servilia munia exercere, ut constat ex Synodo Bajocensi anni MCCC. (*t*). Qui mos vigebat etiam in Ecclesiis, & Diœcesibus Constantiensi (*u*), Lexoviensi (*x*), Rotomagensi (*y*), Carnotensi (*z*), Coloniensi (*aa*), Rhemensi (*bb*), Redonensi (*cc*), Nannetensi (*dd*), Pictaviensi (*ee*), Æduensi (*ff*), Cadurcensi (*gg*) Leodiensi (*hh*), & Trecorensi. Et quidem cum in Ecclesia Trecorensi eo die feriæ fuissent intermissæ, ut rursus fierent statutum est anno MCCCCLVII., ut constat ex Statutis Synodalibus hujus Ecclesiæ, in quibus cap. 5. (*ii*) hæc leguntur = *Insuper festum B. Principis Apostolorum ad Vincula nuncupatum,*

alias

(*a*) Pag. 33. t. 2. Spicileg D'Achery. (*b*) Pag 684. Append. ad Martyrolog. Adonis edit. Georgii.
(*c*) Pag. 667. Append. ad Martyrolog. Adonis. (*d*) Pag. XI. t. VII. Actor. Sanct. Junii.
(*e*) Ibidem pag. 20. (*f*) Pag. 1588. t. 3. Thesaur. Anecdot. Martene.
(*g*) Pag 27. t. VII. Act. SS. Junii. (*h*) Pag. 714. t. VI. Veter. Monum. Martene.
(*i*) Pag. 45 t. 7. Act. SS. junii. (*k*) §. III. pag. 535. tom. 2. de Antiquis Monachor. Ritibus Marten. edit. Lugdun. 1690.
(*l*) Cap. XI. n. 5. pag. 539. t. 2. de Antiq. Monach. Ritibus.
(*m*) Cap. 21. pag. 64. Vet. Disciplin. Monastic. Parisiis 1726.
(*n*) N. 25. pag. 735. t. 9. Actor. Sanctorum Ordin. S. Benedicti Mabillonii edit. Lucæ.
(*o*) Cap. 5. n. 5. pag. 541. t. 2. de Antiq. Monach. Ritibus.
(*p*) Proposit. 17. pag. 1139. t. 5. Auctar. Biblioth. Patr. Paris. 1610.
(*q*) Cap. 8. pag. 1070. t. XIII. Concil. Labbei edit. Venet.
(*r*) Pag. 259. t. 2. Concil. Angliæ Henrici Spelmanni Londini 1664.
(*s*) Cap. 23. pag. 1046. t. 14. Concil. Labbei.
(*t*) Cap. 24. pag. 240. p. 2. Concil. Provinc. Normann. Guiglielmi Bessin Rothomagi 1717.
(*u*) Videatur Decretum Gaufridi Episcopi Constantiensis anni 1487. pag. 574. p. 2. Concil. Normann.
(*x*) Videantur Statuta Synodalia Joannis de Venur Episcopi Lexoviensis anni 1505. pag. 499. p. 2. Concil. Normann.
(*y*) Vide part. 1. Concil. Normann. pag. 168. & 592.
(*z*) Synodus Carnotensis anni 1489. apud Thiers de Festorum dierum Imminutione cap. 23. pag. 120. Lugdun. 1668.
(*aa*) Videantur Sanction. Ecclesiast. Francisci Joverii Episcopi Coloniensis apud Thiers de Festor. dier. Imminut. cap. 24. pag. 132. [*bb*] Constitut. Synodal. Eccles. Rhemens. apud Thiers cap. 24. pag. 137.
(*cc*) Thiers cap. 25. pag. 141. [*dd*] Thiers cap. 25. pag. 145. [*ee*] Thiers loco citato pag. 148.
(*ff*) Statut. Synodal. ann. 1468. cap. 61. pag. 519. t. 4. Thes. Anecd. Martene.
(*gg*) Stat. Synod. ann. 1289. cap. 31. pag. 765. t. 4. Thes. Anecd. (*hh*) Stat. Synod. ann. 1287. cap. XI. pag. 852. citati t. IV.
(*ii*) Pag. 1126. t. 4. Thesaur. Anecdot. Martene.

alias in dictis nostris Civitate, & Diœcesi coli, & feriari solitum . . . . legitimis causis sublatum, decernimus a Clero, & Populo in antea Kalendis Augusti coli, & observari debere. Nec dubito, quin Romæ etiam olim eadem solemni religione recoleretur. Nam in Martyrologio Centulensi ad diem 1. Augusti hæc habentur (*a*) = *Romæ ad Vincula S. Petri festivus, & solemnis concursus*. Et Jacobus Gaytanus, qui floruit sub Bonifacio VIII., & Clemente V. *in Ordinario S. Romanæ Ecclesiæ* (*b*) testatur, quod ipsius etiam tempore = *in festo S. Petri ad Vincula non fiebat Consistorium*. In Ecclesia Abrincensi, etsi haud ita religiosus hic esset dies, quemadmodum in aliis Ecclesiis, cautum tamen erat, ut Sacris quisque assisteret, quod legitur in Constitutionibus Synodalibus Roberti Episcopi Abrincensis (*c*).

III. Sed apud Græcos etiam festus Vinculorum S. Petri dies celebris fuit. Agebant vero illum die XVI. Januarii. Id discimus ex Menologio Basilii Macedonis Imperatoris, quod primum a Ferdinando Ughello (*d*), deinde ab Annibale Cardinale Albano editum est, nam in eo ad diem XVI. Januarii hæc legimus (*e*) = *Adoratio S. Catenæ Apostoli Petri, qua propter Christum ab Herode Rege vinctus fuit, & in custodiam conjectus*. Idem legitur in Menologio Græcorum, quod Canisius publicavit (*f*). In Martyrologio vero Metrico Ecclesiæ Græcæ, vulgato a Godofrido Sibero, hæc ad prædictam diem (*g*) extant:

Tuas colendas, Petre, compedes colo:
Hinc solve nexus hos tenaces criminum.

Notatur & hic festus dies in Ephemeridibus Græco-Moschis (*h*) his verbis:

Decimam sextam venerabor Vincula Petri.

Eumdem recenset quoque Manuel Comnenus Imperator in sua Constitutione de Festis (*i*), cui addendum Menologium Chrystophori Mytelenæi. (*k*)

IV. Jam vero observat Papebrochius (*l*), Græcos diem hunc pleno officio celebrasse, & quidem cum duplici Canone. Primi Canonis Auctor videtur Byzas, seu Bysantius. Canon iste Acrostichus est, strophis singulis ad hujus trimetri literas singulas accomodatis:

Vincla devote, Petre, adoramus tua.

Alter S. Josephi Hymnographi nomen inclusum huic Achrostichidi suæ sic præfert:

Petri Catenam versibus cano Joseph.

Hi-

(*a*) In Auctar. ad Usuardum edit. Sollerii pag. 441. t. VII. Act. Sanctor. Junii.
(*b*) Cap. 101. pag. 386. tom. 2. Musæi Italic. Mabillonii.
(*c*) Pag. 263. & 295. p. 2. Concil. Normann. Guiglielmi Bessin.
(*d*) In Anecdot. pag. 925. t. X. Ital. Sacræ.
(*e*) Pag. CXI. t. 2. edit. Urbini 1727.
(*f*) P. 1. t. 3. Lection. Antiq. pag. 413.
(*g*) Pag. 17. edit. Lipsiæ 1727.
(*h*) Pag. 9. t. 1. Act. Sanct. Mensis Maii.
(*i*) Apud Balsamonem Comment. in Nomocanonem Photii tit. 7. cap. 1. pag. 923. t. 2. Biblioth. Juris Canonic. Justelli Paris. 1661.
(*k*) Pag. 476. Martyrol. Eccles. Græcæ Siberi.
(*l*) In Analectis de Reliquiis Sanct. Apostol. Petri & Pauli §. IX. n. 100. pag. 449. t. V. Actor. Sanct. Junii.

Historicæ autem lectioni post sextam Oden ex more recitandæ tale præponitur dysthichon.

Sanctam Catenam, Petre, adorantem tuam,
Longa Catena solve me delictorum.

V. Hactenus de festo Vinculorum die, qui sanctus, solemnisque agebatur ex more, institutoque Majorum. Hic autem, (ut antiquissimarum rerum obcura initia solent esse), non satis constat, quo primum tempore festus hic dies tum apud Latinos, tum apud Græcos agi cœpit. De Græcis hoc unum habemus, eos jam IX. sæculo illum celebrasse. Nam Menologium Basilii Imperatoris, in quo diserta hujus diei fit commemoratio, circa annum DCCCLXXXVI. est exaratum, ut Cardinalis Baronius (*a*), & Allatius (*b*) animadvertunt: & Joseph Hymnographus, quem pariter de hoc die festo loquutum diximus, obiit anno DCCCLXXXIII., ut Papebrochius in Commentario prævio de eodem ad diem III. Aprilis (*c*) ostendit. Verum cum nullus inter ipsos, quod sciam, aliquid memoriæ prodiderit de prima illius origine; utrum eo tempore, an ante, hujus sancti Instituti religio apud ipsos cœperit, incertum, atque obscurum est. Latini quidem Scriptores multa de hujus diei festi institutione habent; sed cum plurimum inter se dissentiant, difficillimum est in tanta varietate opinionum veritatem assequi. Nam quidam a S. Alexandro Papa institutum volunt. Ita Auctor Sermonis in Vincula S. Petri inter opera Bedæ (*d*), Petrus Blesensis (*e*), Durandus (*f*), Petrus de Natalibus (*g*), & alii (*h*). Nonnulli a S. Silvestro; quos inter Auctor Epistolæ ad Eustochium (*i*), & Polydorus Virgilius de Rerum Inventoribus (*k*). In veteri Breviario sæculi XV. (*l*) id a Siricio factum perhibetur. Alii, de quibus Andreas Ratisponensis (*m*), Innocentio I. adscribunt. Sigebertus in Chronico (*n*), Balæus (*o*), & Genebrardus (*p*) ad Sixtum III. referunt. Gervasius Tilberiensis (*q*), Passionale cujus meminit Andreas Ratisponensis (*r*), & Martyrologium Hagenoyense (*s*) Pelagium Pontificem diem hunc festum instituisse narrant. Denique Auctor Sermonis in Vincula S. Petri, qui in Homiliario Alcuini extat (*t*), Codex Palatino-Vaticanus CCCCLXX. (*u*), Joannes Belethus (*x*), Lectionarium Basilicæ S. Stephani Bononiæ (*y*), Honorius Augustodunensis (*z*), Martinus

(*a*) Ad ann. 886. n. 14. (*b*) Dissertat. de Libris Ecclesiastic. Græcor. §. 12. pag. 83. Paris. 1646.
(*c*) §. 2. n. 12. pag. 269. t. 1. Act. Sanct. Mensis Aprilis. Videatur Celeberr. Card. Quirinus in Epistola *de Hymnis Qadragesimalibus Græcorum eorumque Auctoribus* ad Renatum L'Aneau pag. 18.
(*d*) Pag. 501. t. 7. edit. Basileæ 1563. (*e*) Serm. 31. pag. 1209. t. 24. Biblioth. Patrum.
(*f*) Lib. 7. Rational. cap. 19. (*g*) Lib. 7. cap. 3.
(*h*) Auctor. Histor. de Vinculis S. Petri apud Boninum Mombritium t. 2. Vit. Sanctor. fol. 224., Legendarium Colleg. S. Clementis Hispanor. Bononiæ fol. 151. col. 2., Breviarium M. S. Bibliothecæ Ottobonianæ n. 543.
(*i*) Pag. 202 t. V. Oper. S. Hieronymi. (*k*) Lib. 6. cap. 8.
(*l*) Extat in Bibliotheca Card. Passionei. (*m*) In Chronico pag. 1986. t. 1. Corpor. Historic. Eccardi.
(*n*) Ad ann. 438. pag. 496. t. 1. Rer. Germanic. Historil. (*o*) Centuria 1. cap. 36.
(*p*) Lib. 3 Chronograph. pag. 442. Lugduni 1609.
(*q*) In Otiis Imperialib. Decis. 2. cap. 16. pag. 926. t. 2. Rer. Brunsvicens. (*r*) Loco supracitato.
(*s*) In Auctar. ad Usuardum pag. 441. t. 7. Act. Sanct. Junii. (*t*) Pag. 180. (*u*) Fol. 61.
(*x*) In Explicat. Divin. Offic. cap. 141. (*y*) Fol. 71. col. 2. (*z*) Lib. 3. Gemmæ Animæ cap. 164.

tinus Polonus (*a*), Breviarium Palatino-Vaticanum DXVI. (*b*), Pompejus Ugonius (*c*), & alii initium habuisse affirmant sub Eudoxia, quando nimirum illa Catenas Hierosolymitanas Romam deferendas curavit, & Basilicam nostram ampliavit, novamque appellationem ad Vincula induxit; qua occasione sublatam etiam narrant prophanam quamdam celebritatem, quæ, ut illis quidem placet, adhuc eo agebatur die ad memoriam victoriæ, quam de Marco Antonio Augustus reportavit; quod & ii fere omnes habent, qui de hujusce festi diei institutione loquuntur.

VI. Ab Alexandro tamen, aut Silvestro diem hunc non fuisse institutum arbitror, quod illius nulla fit mentio in Kalendario Liberii Pontificis ætate exarato, quod edidit Bucherius (*d*); ubi cum dies festi notentur, qui in Romana agebantur Ecclesia, hic non recensetur. Neque sub Siricio, Innocentio, & Sixto III. primò institutum hunc festum diem ostendit S. Leo Sixti III. successor, cum Sermone LXXXII. (*e*), Kalendis Augusti duplicem causam agendi festum hunc diem commemorat, Machabæorum unam, Dedicationis Ecclesiæ alteram, nullamque de festo Vinculorum die mentionem facit. *Duplex*, inquit, *causa letitiæ est: in qua & Natalem Ecclesiæ colimus, & Martyrum passione gaudemus*. Nam natalis dies Ecclesiæ, de quo S. Leo, erat festus Dedicationis hujus Basilicæ, quæ cum a Sisto III. restaurata fuisset, & dedicata in memoriam D. Petri, qui locum hunc primum omnium (*f*) immortali Deo dedicaverat, cum Romam venit; est propterea festus dies ejusdem nuncupatus festus *Dedicationis primæ Ecclesiæ a Beato Petro constructæ, & dedicatæ*. Hinc in antiquissimo Martyrologio Ecclesiæ Occidentalis a Florentinio edito ad diem 1. Augusti hæc leguntur (*g*): *Romæ Dedicatio primæ Ecclesiæ a Beato Petro constructæ, & consecratæ*. Consonat Martyrologium Hieronymianum Lucæ D' Achery (*h*) = *Romæ Dedicatio primæ Ecclesiæ, & a B. Petro Apostolo constructæ, & dedicatæ*. Habent idipsum Martyrologium Corbejense (*i*), & Rabanus (*k*). Martyrologium vero Barberinianum ita loquitur (*l*) = *Dedicatio primæ Basilicæ a B. Petro constructæ, quæ dicitur ad S. Petrum ad Vincula*. Et Notkerus [*m*] = *Statio ad S. Petrum ad Vincula, quam Ecclesiam ipse primus in Europa construxit, & dedicavit*.

VII. Qui vero diem festum ad Vincula eo tempore agi primum cœpisse memorant, quo Eudoxia sacram hanc Ædem ædificavit, in eo unice reprehenden-

(*a*) In Chronolog. Romanor. Imperat. n. 48. pag. 351. t. 2. Rer. Germanic. Joannis Kulpis Argentorati 1685.
(*b*) Fol. 206. col. 2. (*c*) Stazioni di Roma fol. 53.
(*d*) Commentar. in Canonem Paschalem Victorii cap. 15. pag. 267. Antuerpiæ 1634. Editum est etiam a Ruinart. Act. Martyr. pag. 692. Paris. 1689.
(*e*) N. 1. pag. 167.
(*f*) SS. D. N. BENEDICTUS XIV. Constitut. LXXXIII. quæ incipit *Admirabilis Sapientia* data die 1. Aprilis Anni 1743. §. 7. pag. 273. t. 1. Bullar. loquens de hac nostra Basilica = *Hac enim*, inquit, *prima Ecclesia esse traditur, quæ a Principe Apostolorum fuit Romæ immortali Deo dedicata*. Sed de hac re fusius in Historia, quam scribimus, hujus Basilicæ.
(*g*) Pag. 692. (*h*) Pag. 15. t. 2. Spicileg.
(*i*) Pag. 1581. t. 3. Thesauri Anecdotor. Martene, & pag. 83. t. 7. Actor. Sanct. Junii.
(*k*) Pag. 192. t. 6. Oper. edit. Coloniæ Agrippinæ anni 1626.
(*l*) Ad diem 1. Augusti pag. 27. t. 1. Act. Sanct. Martii in notis ad Martyrologium Bedæ.
(*m*) Pag. 159. p. 2. t. 2. Lection. Antiquar. Canisii.

Hiſtoricæ autem lectioni poſt ſextam Oden ex more recitandæ tale præponitur dyſtichon.

Sanctam Catenam, Petre, adorantem tuam,
Longa Catena ſolve me delictorum.

V. Hactenus de feſto Vinculorum die, qui ſanctus, ſolemniſque agebatur ex more, inſtitutoque Majorum. Hic autem, (ut antiquiſſimarum rerum obcura initia ſolent eſſe), non ſatis conſtat, quo primum tempore feſtus hic dies tum apud Latinos, tum apud Græcos agi cœpit. De Græcis hoc unum habemus, eos jam IX. ſæculo illum celebraſſe. Nam Menologium Baſilii Imperatoris, in quo diſerta hujus diei fit commemoratio, circa annum DCCCLXXXVI. eſt exaratum, ut Cardinalis Baronius (*a*), & Allatius (*b*) animadvertunt: & Joſeph Hymnographus, quem pariter de hoc die feſto loquutum diximus, obiit anno DCCCLXXXIII., ut Papebrochius in Commentario prævio de eodem ad diem III. Aprilis (*c*) oſtendit. Verum cum nullus inter ipſos, quod ſciam, aliquid memoriæ prodiderit de prima illius origine; utrum eo tempore, an ante, hujus ſancti Inſtituti religio apud ipſos cœperit, incertum, atque obſcurum eſt. Latini quidem Scriptores multa de hujus diei feſti inſtitutione habent; ſed cum plurimum inter ſe diſſentiant, difficillimum eſt in tanta varietate opinionum veritatem aſſequi. Nam quidam a S. Alexandro Papa inſtitutum volunt. Ita Auctor Sermonis in Vincula S. Petri inter opera Bedæ (*d*), Petrus Bleſenſis (*e*), Durandus (*f*), Petrus de Natalibus (*g*), & alii (*h*). Nonnulli a S. Silveſtro; quos inter Auctor Epiſtolæ ad Euſtochium (*i*), & Polydorus Virgilius de Rerum Inventoribus (*k*). In veteri Breviario ſæculi XV. (*l*) id a Siricio factum perhibetur. Alii, de quibus Andreas Ratiſponenſis (*m*), Innocentio I. adſcribunt. Sigebertus in Chronico (*n*), Balæus (*o*), & Genebrardus (*p*) ad Sixtum III. referunt. Gervaſius Tilberienſis (*q*), Pamonale cujus meminit Andreas Ratiſponenſis (*r*), & Martyrologium Hagenoyenſe (*ſ*) Pelagium Pontificem diem hunc feſtum inſtituiſſe nar[illegible]nt. Denique Auctor Sermonis in Vincula S. Petri, qui in Homiliario Alcuini extat (*t*), Codex Palatino-Vaticanus CCCCLXX. (*u*), Joannes Belethus (*x*), Lectionarium Baſilicæ S. Stephani Bononiæ (*y*), Honorius Auguſtodonenſis (*z*), Martinus

(*a*) Ad ann. 886. n. 14. (*b*) Diſſertat. de Libris Eccleſiaſtic. Græcor. §. 12. pag. 83. Pariſ. 1646.
(*c*) §. 2. n. 12. pag. 269. t. 1. Act. Sanct. Menſis Aprilis. Videatur Celeberr. Card. Quirinus in Epiſtola *de Hymnis Quadrageſimalibus Græcorum eorumque Auctoribus* ad Renatum L'Aneau pag. 18.
(*d*) Pag. 501. t. 7. edit. Baſileæ 1563. (*e*) Serm. 30. pag. 1109. t. 24. Biblioth. Patrum.
(*f*) Lib. 7. Rational. cap. 19. (*g*) Lib. 7. cap. 3.
(*h*) Auctor. Hiſtor. de Vinculis S. Petri apud Boninum Mombritium t. 2. Vit. Sanctor. fol. 224., Legendarium Colleg. S. Clementis Hiſpanor. Bononiæ fol. 151. col. 2., Breviarium M. S. Bibliothecæ Ottobonianæ n. 543.
(*i*) Pag. 202 t. V. Oper. S. Hieronymi. (*k*) Lib. 6. cap. 8.
(*l*) Extat in Bibliotheca Card. Paſſionei. (*m*) In Chronico pag. 1986. t. 1. Corpor. Hiſtoric. Eccardi.
(*n*) Ad ann. 438. pag. 496. t. 1. Rer. Germanic. Hiſtoril. (*o*) Centuria 1. cap. 36.
(*p*) Lib. 3. Chronograph. pag. 442. Lugduni 1609.
(*q*) In Otiis Imperia lib. Decis. 2. cap. 16. pag. 926. t. 1. Rer. Brunſvicenſ. (*r*) Loco ſupracitato.
(*ſ*) In Auctar. ad Uſuardum pag. 441. t. 7. Act. Sanct. Junii. (*t*) Pag. 610. (*u*) Fol. 61.
(*x*) In Explicat. Divin. Offic. cap. 141. (*y*) Fol. 72. col. 1. (*z*) Lib. 3. Gemmæ Animæ cap. 164.

tinus Polonus (*a*), Breviarium Palatino-Vaticanum DXVI. (*b*), Pompejus Ugonius (*c*), & alii initium habuisse affirmant sub Eudoxia, quando nimirum illa Catenas Hierosolymitanas Romam deferendas curavit, & Basilicam nostram ampliavit, novamque appellationem ad Vincula induxit; qua occasione sublatam etiam narrant prophanam quamdam celebritatem, quæ, ut illis quidem placet, adhuc eo agebatur die ad memoriam victoriæ, quam de Marco Antonio Augustus reportavit; quod & ii fere omnes habent, qui de hujusce festi diei institutione loquuntur.

VI. Ab Alexandro tamen, aut Silvestro diem hunc non fuisse institutum arbitror, quod illius nulla fit mentio in Kalendario Liberii Pontificis ætate exarato, quod edidit Bucherius (*d*); ubi cum dies festi notentur, qui in Romana agebantur Ecclesia, hic non recensetur. Neque sub Siricio, Innocentio, & Sixto III. primò institutum hunc festum diem ostendit S. Leo Sixti III. successor, cum Sermone LXXXII. (*e*), Kalendis Augusti duplicem causam agendi festum hunc diem commemorat, Machabæorum unam, Dedicationis Ecclesiæ alteram, nullamque de festo Vinculorum die mentionem facit. *Duplex*, inquit, *causa lætitiæ est: in qua & Natalem Ecclesiæ colimus, & Martyrum passione gaudemus*. Nam natalis dies Ecclesiæ, de quo S. Leo, erat festus Dedicationis hujus Basilicæ, quæ cum a Sisto III. restaurata fuisset, & dedicata in memoriam D. Petri, qui locum hunc primum omnium (*f*) immortali Deo dedicaverat, cum Romam venit; est propterea festus dies ejusdem nuncupatus festus *Dedicationis primæ Ecclesiæ a Beato Petro constructæ, & dedicatæ*. Hinc in antiquissimo Martyrologio Ecclesiæ Occidentalis a Florentinio edito ad diem 1. Augusti hæc leguntur (*g*): *Romæ Dedicatio primæ Ecclesiæ a Beato Petro constructæ, & consecratæ*. Consonat Martyrologium Hieronymianum Lucæ D' Achery (*h*) = *Romæ Dedicatio primæ Ecclesiæ, & a B. Petro Apostolo constructæ, & dedicatæ*. Habent idipsum Martyrologium Corbejense (*i*), & Rabanus (*k*). Martyrologium vero Barberinianum ita loquitur (*l*) = *Dedicatio primæ Basilicæ a B. Petro constructæ, quæ dicitur ad S. Petrum ad Vincula*. Et Notkerus [*m*] = *Statio ad S. Petrum ad Vincula, quam Ecclesiam ipse primus in Europa construxit, & dedicavit*.

VII. Qui vero diem festum ad Vincula eo tempore agi primum cœpisse memorant, quo Eudoxia sacram hanc Ædem ædificavit, in eo unice reprehenden-

den-

(*a*) In Chronolog. Romanor. Imperat. n. 48. pag. 351. t. 2. Rer. Germanic. Joannis Kulpis Argentorati 1685.
(*b*) Fol. 206. col. 2. (*c*) Stazioni di Roma fol. 53.
(*d*) Commentar. in Canonem Paschalem Victorii cap. 15. pag. 267. Antuerpiæ 1634. Editum est etiam a Ruinart. Act Martyr. pag. 692. Parif. 1689.
(*e*) N. 1. pag. 167.
(*f*) SS. D. N. BENEDICTUS XIV. Constitut. LXXXIII. quæ incipit *Admirabilis Sapientiæ* data die 1. Aprilis Anni 1743. §. 7. pag. 273. t. 1. Bullar. loquens de hac nostra Basilica — *Hæc enim*, inquit, *prima Ecclesia esse traditur, quæ a Principe Apostolorum fuit Romæ immortali Deo dedicata*. Sed de hac re fusius in Historia, quam scribimus, hujus Basilicæ.
(*g*) Pag. 692. (*h*) Pag. 15. t. 2. Spicileg.
(*i*) Pag. 1581. t. 3. Thesauri Anecdotor. Martene, & pag. 85. t. 7. Actor. Sanct. Junii.
(*k*) Pag. 192. t. 6. Oper. edit. Coloniæ Agrippinæ anni 1626.
(*l*) Ad diem 1. Augusti pag. 27. t. 2. Act. Sanct. Martii in notis ad Martyrologium Bedæ.
(*m*) Pag. 159. p. 2. t. 2. Lection. Antiquar. Canisii.

dendi videntur, quod ajunt hujusmodi festum diem fuisse institutum, ut Augustalia prophana tollerentur, quæ ad memoriam victoriæ ab Augusto de Marco Antonio relatæ agebantur. Etenim Augustus Marcum Antonium apud Actium superavit, non Kalendis Sextilibus, sed IV. Kalendas Septembris, ut testatur Dio Cassius libro LI. Historiarum (*a*). Quin Romæ, cum adhuc impia Gentilium vigeret Religio, Kalendæ Augusti celebrabantur ob Equestria certamina, quæ fieri eo die solebant, quod testatur Dio (*b*); & ob festum diem Spei ad Forum Olitorium, ut Thomas Dempsterus [*c*], Sibrandus Siccama (*d*), Petrus Viola [*e*], & Hadrianus Junius [*f*] jam observarunt. Quod unum si excipiatur, nihil est in eorum sententia, quod reprehensionem doctorum hominum possit incurrere. Nam quod opponi potest, diem nimirum hunc non recenseri in Sacramentario S. Leonis, & in Sacramentario Gelasii; adeoque post S. Leonis, & Gelasii tempora fuisse institutum, leve plane est; nam Sacramentarium Gelasii, quod edidit Cardinalis Thomasius non fuit ad usum Romanæ Ecclesiæ, sed Gallicanæ; ut idem Thomasius in Præfatione ad illud animadvertit: & potuit festus ad Vincula dies Romæ Gelasii tempore celebrari, quin in Gallia celebraretur. Sacramentarium vero Leonis Magni nomine a Blanchinio editum [*g*], etsi ad usum Romanæ Ecclesiæ fuerit; attamen in eo nec festus Machabæorum dies notatur, nec Dedicatio Basilicæ nostræ; qui tamen dies Romæ celebrabantur S. Leonis ætate, ut constat ex ejusdem Sermone de Machabæis, qui in serie LXXXII. est. Quid ni ergo omitti potuit & festus Vinculorum dies?

VIII. Si quis tamen hunc diem festum, non Leonis Magni ætate, sed sub Pelagio I., qui electus fuit Pontifex anno Æ. V. DLV., institutum contendat, quæ Gervasii Tilberiensis, & aliorum est sententia, non repugno. Neque enim fortasse rationem hujus sententiæ probabilem, atque idoneam non habemus; cum Pelagium Templum hoc dedicasse legatur in Inscriptione, quæ olim illic erat; sic enim habet:

PELAGIUS RURSUS SACRAVIT PAPA BEATUS.

Quam rem cum nonnulli [*h*] in temporum ratione non probe instructi accepissent, putarunt Pelagium Basilicam hanc dedicasse, quo tempore Eudoxia eamdem exædificavit, quod plane falsum est; cum Pelagius centum & amplius annis post Eudoxiam floruerit.

IX. Sed minime prætereundum videtur, quod festo hoc Vinculorum die vigebat mos satis antiquus apud Christianos Catenas illas causa Religionis exo-

(*a*) Pag. 442. edit. Hanoviæ 1606.
(*b*) Lib. 60. Historiar. pag. 667.
(*c*) In Kalendar. Romano pag. 180. t. 8. Antiquitat. Romanar. Grævii edit. Lugduni Batav. 1698.
(*d*) In Fast. Kalendar. Romanor. cap. 14. pag. 74. t. 8. Grævii.
(*e*) De Veteri novaque Romanorum Temporum Ratione pag. 194. t. 8. Grævii.
(*f*) In libr. Fastorum pag. 296. t. 8. Grævii.
(*g*) In Prologomen. ad t. IV. Anastasii Bibliothecarii.
(*h*) Gervasius Tilberiensis, Passionale apud Martinum Minoritam in Chronico pag. 1568., Legendarium Collegii S. Clementis Bononiæ, Petrus de Natalibus, Martyrologium Hagenoyense locis alibi citatis.

exoſculandi. Cujus quidem moris in antiquis Sacramentariis, & Martyrologiis fit mentio. Codex Vallicellanus quatuor Evangeliorum apud Cardinalem Thomaſium (*a*) ad diem I. Auguſti hæc habet = *Kalendis Auguſti ad S. Petrum ad Vincula ad Catenas ejus oſculandas*. Miſſale Vallicellanum apud eumdem (*b*) *ad S. Petrum ad Vincula Catenas ejus oſculandas*. Martyrologium Gellonenſe conſcriptum anno DCCCIV. (*c*) *Roma ad Vincula, Catenas S. Petri oſulandas*. Martyrologium Ottobonianum (*d*) ſæculi X. *ad Vincula Edoxiæ Apoſtoli Petri obſculant Populi Catenas*. Martyrologium Auguſtanum (*e*) *Catena S. Petri oſculanda*. Martyrologium Labbeanum (*f*) *Romæ ad Vincula, Catena S. Petri oſculanda*. Idem habent Appendix Rodradi (*g*), Codex Regius pervetuſtus, cujus meminit Martene (*h*), Codex Rhemenſis ab Hugone Menardo (*i*) memoratus, & Codex Noviomenſis apud Martene *de Antiquis Eccleſiæ Ritibus in Divinis celebrandis Officiis* capite XXXIII. (*k*); quo loco animadvertit vir doctus minime dubitari poſſe, *quin olim Fideles hoc die beati Petri Apoſtoli Vincula ſuis oſculis venerarentur*. Ejuſdem moris teſtis eſt etiam Auctor Sermonis in Vincula S. Petri inter opera Bedæ, qui loquens de hac noſtra ſacra Æde S. Petri ad Vincula inquit (*l*) = *in qua Catenæ ejus deoſculantur a Populo devoto*. Durandus quoque libro VII. *Rationalis Divinorum Officiorum* (*m*) affirmat, ſua ætate eaſdem Catenas Chriſtianos oſculari conſueviſſe. Idque memoriæ etiam prodidit Paris de Graſſis in ſuo *Diario*, qui, dum refert Julium II. in die S. Petri ad Vincula religionis cauſa ad hanc Baſilicam pluries ſe contuliſſe; dum narrat etiam, Cardinales, qui Romæ aderant, ſingulis annis eo die adſtitiſſe ſolemni Miſſæ, quæ in hac Baſilica celebrabatur, id curante Cardinali, ut vocant, Titulari; nec illud tacet, quod nimirum & Pontifex, & Cardinales Catenas oſcularentur. Ait enim ad annum MDIX. (*n*) *Finita Miſſa Cardinales omnes iverunt ad Catenam, & ligati ſunt omnes in gutture cum illa Catena*. Et ad annum MDX. (*o*). *Ipſo die S. Petri ad Vincula Papa acceſſit ad Eccleſiam cum omnibus Cardinalibus .... Papa oravit in medio Eccleſiæ ante Altare majus. Deinde ivit ad Altare Catenarum, ubi iterum oratione facta oſculatus eſt Catenas, & obtulit decem ducatos. Similiter omnes Cardinales fecerunt quoad oſculationem Catenæ*. De eodem more loquutus eſt etiam Novidius Fraccus poeta non contemnendus ſui temporis *Sacrorum Faſtorum* libro VIII. (*p*)

Finierat, magnus fuerat concurſus ad aram:
Parſque dabat collo Vincula, parſque preces.

 Tunc

(*a*) Pag. 188. Antiq. Libr. Miſſarum.
(*b*) Pag. 200. Antiq. Libr. Miſſar.
(*c*) Pag. 33. t. 2. Spicil. D' Achery.
(*d*) In Append. ad Martyrolog. Adonis pag. 684. edit. Georgii.
(*e*) Pag. 20. t. 7. Act. Sanct. Junii.
(*f*) Pag. 27. t. 7. Act. Sanct. Junii.
(*g*) Teſte Hugone Menardo in notis ad Sacramentarium S. Gregorii nota 437. pag. 409. p. 1. t. 3. Oper.
(*h*) De antiquis Eccleſiæ Ritibus in Divinis celebrandis Officiis cap. 33. n. 13. pag. 574. Lugduni 1706.
(*i*) Nota 437. in Sacrament. S. Gregor. Magni pag. 409.
(*k*) N. 13. pag. 574.
(*l*) Pag. 501. t. 7. Oper. edit. Baſileæ 1563.
(*m*) Cap. 19.
(*n*) Fol. 426. Cod. CXXXVII. Biblioth. Corſinæ.
(*o*) Fol. 75. Cod. CXXXVIII. Biblioth. Corſinæ.
(*p*) Pag. 92. edit. Romæ 1547.

Tunc, ſic turba onerat cur, dixi, colla Catena?
Sique duas paſſus, cur capit una preces?
Servat in Exquiliis Templum quæ Vincula dixit,
Quanta ſub Herode ſubque Nerone tulit.
. . . . .
Currit ad hæc vulgus, ligat & ſua colla; rogatque
Corporaque atque animas ut pia facta juvent.

Pia hæc, & religionis pleniſſima conſuetudo viget etiamnum, quod notum eſt cuique, immo ad octavam uſque diem propagata eſt, ut octo ipſos dies Catenæ B. Petri propterea exponantur (*a*) in oculis, & conſpectu omnium, ut ſinguli illas exoſculentur.

§. V.

De Miraculis, quæ a Deo per Catenas S. Petri perhibentur facta.

I. ATque hæc equidem teſtimonia ad rei veritatem comprobandam huc illuc diſperſa cum colligerem, & diligenter animadverterem, ſic diſputare ſolebam: tantumne religionis tam diuturno tempore habuiſſent cuicuimodi Vincula vel extracta e ſordida officina, vel e carcere hominum conſceleratorum? Illa ne ut ex inſtituto Majorum noſtrorum ſacris anniverſariis apud omnes fere Eccleſias colerentur? Illa ut a Pontificibus Romanis, a Civibus, ab Advenis religionis cauſa viſerentur? Illa ut thure, floribus, oſculo concelebrarentur? Non poſſum animum inducere, ut credam. Etſi enim ita ſum comparatus, ut negem, gravis hominis eſſe, temere cuivis rei vel falſæ, vel non ſatis cognitæ aſſentiri, tamen, niſi in re evidenti & perſpicua, tot ſæculorum judicium auctoritatemque negligere, & Majores noſtros aut ſtultitiæ, aut fraudis, aut imprudentiæ condemnare, ſummæ arrogantiæ eſſe arbitror. Quid? ſi in iiſdem Catenis vim, numenque ſuum oſtenderit Deus, & auctoritatem adjunxerit miraculorum? Tamenne dubitabimus, eſſe illa eadem Vincula, quæ cum Romæ tum Hieroſolymis injecta olim Principi Apoſtolorum, nunc conſecrata fuere memoriæ hominum, ut eſſent Apoſtolicæ indicia virtutis, & monumenta victoriæ? At in eaſdem Catenas apte cadit illud Chryſoſtomi (*b*): *abunde orationi noſtræ fidem faciunt, quæ quotidiana*

(*a*) In Tabulis Archivi noſtri anni 1413. fol. 28. t. 2. Inſtrument. S. Agnetis hæc leguntur — *A principio Menſis Auguſti uſque ad octavam, & ipſam octavam aperitur Venerabilis Catena exiſtens in Eccleſia, & dicta Catena, ſeu locus, ubi ea poſita eſt, permanet aperta, & apertus.*

[*b*] In lib. de S. Babyla adverſus Julianum pag. 475. t. V. Operum edit. Pariſ. 1614. & pag. 555. n. 12. t. 2. edit. Montfauconii.

na miracula eduntur. Nam miraculorum, quæ in his Catenis fecit præpotens Deus, testem habemus Gregorium Magnum cum pluribus in locis, tum maxime in Epistola ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum scripta, quæ est XLII. libri XIII.; in ea enim hæc habet (*a*): *Præterea transmisimus crucem parvulam, in qua de Catenis amatorum vestrorum sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum inserta est benedictio, quæ oculis vestris assiduè superponatur, quia multa per eamdem benedictionem miracula fieri consueverunt*. Et scribens ad Andream Illustrem (*b*), & Joannem Exconsulem (*c*) = *Præterea sacratissimam Clavem*, inquit, *a S. Petri Apostoli corpore vobis transmisi, quæ super ægros multis solet miraculis coruscare; nam etiam de Catenis ejus interius habet*. Et de Clavibus quidem S. Petri, quas ab ejus corpore acceptas crebro ad Principes, aliosque illustres Viros transmisit idem Gregorius (*d*), & quibus inclusa fuisse ramenta Catenarum S. Petri pluribus in locis testatur (*e*), ita ad Anastasium Patriarcham Antiochenum scribit (*f*) = *Amatoris autem vestri beati Petri Apostoli vobis Claves transmisi, quæ super ægros positæ multis solent miraculis coruscare*. Immo Epistola ad Theoctistam Patriciam data (*g*), post quam dixit se ei Clavim beati Petri misisse, statim hanc subjungit narrationem = *De qua videlicet Clavi hoc est gestum, quod narro miraculum. Dum eam quidam Langobardus Civitatem ingressus in Transpadanis partibus invenisset, quia S. Petri Clavis esset despiciens: sed pro eo quòd eam auream vidit, facere sibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum, ut eam incideret. Qui mox cultellum eum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per spiritum, sibi in gutture defixit, eademque hora extinctus cecidit. Et dum illic Rex Langobardorum Autharith atque alii multi ejus homines adessent, & is qui se percusserat, seorsum mortuus, Clavis vero hæc seorsum jaceret in terra, factus est omnibus vehementissimus timor, ut eamdem Clavem de terra levare nullus præsumeret. Tunc quidam Langobardus Catholicus, qui sciebatur orationi, & eleemosynis deditus, Minulphus nomine, vocatus est, atque ipse hanc levavit de terra. Autharith vero pro eodem miraculo aliam Clavem auream fecit, atque eum ea pariter ad sanctæ memoriæ decessorem meum transmisit, indicans quale per eam miraculum contigisset. Ipsam ergo vestræ Excellentiæ transmittere studui, per quam omnipotens Deus superbientem & perfidum hominem peremit, ut per eam vos, qui eum timetis & diligitis, & præsentem salutem & æternam habere valeatis*. Hactenus Gregorius Magnus, quem tanta dignitate ac doctrina Pontificem vel impudentis mendacii, vel superstitionis anilis nemo sanæ mentis accusabit; numquam enim res aut falsas, aut quæ sibi satis exploratæ non essent, tum ad Episcopos doctrina celeberrimos, tum ad fœminas genere, & dignitate illustres scripsisset. Facile enim tamquam levissimus fabellarum vel au-

 ctor

[*a*] Pag. 1248. t. 2. Oper. [*b*] Lib. 1. Epist. 30. pag. 520. [*c*] Lib. 1. Epist. 31. pag. 520.
[*d*] Vide lib. 1. Epist. 26. 30. 31. pag. 517. 520., lib. 3. Epist. 48. pag. 659., lib. 6. Epist. 6. pag. 796., lib. 7. Epist. 28. pag. 874., lib. 8. Epist. 35. pag. 924., lib. 9. Epist. 52. 122. pag. 972. 1031., lib. 11. Epist. 7. pag. 1185.
[*e*] Vide Epistolas jam allegatas. [*f*] Lib. 1. Epist. 26. pag. 517. [*g*] Lib. 7. Epist. 26. pag. 872.

ctor, vel patronus redargui potuisset, & vero etiam debuisset, saltem ab Episcopis, quos ea ætas, doctrina & sanctitate vitæ claros tulit. Credimus, (& merito quidem), Chrysostomo (*) mira quædam de Catenis S. Pauli enarranti, cur Gregorio Magno Beati Petri Vincula propter miraculorum gloriam celebranti fidem denegemus?

II. At non unus Gregorius Magnus is est, qui harum Catenarum miracula commemorat. Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum cap. XXVIII. (a) de Clavibus Confessionis S. Petri, quibus, utdiximus, Catenarum ramenta includebantur, hæc tradit = *Multi enim & Claves aureas ad reserandos cancellos beati sepulchri faciunt, qui ferentes pro beneficio accipiunt priores, quibus infirmitati tribulatorum medeantur.* Auctor etiam Sermonis in Vincula S. Petri, qui extat in Homiliario Alcuini (b), & fortasse eidem (c) tribuendus est, de nostris his Catenis loquens diserte pronuntiat, quod *indigentibus plura præstant beneficia*. Belethus (d) vero, Durandus (e), Petrus de Natalibus (f), Baronius (g), Ugonius (h), Pancirolus (i), Donatus (k), Florentinius (l), Boldettus (m), aliique referunt, quo tempore ab Eudoxia Hierosolymitanæ Petri Catenæ in hac sacra Æde primum positæ sunt; Romanis, quæ ibi custodiebantur, sic repente illas adhæsisse divinitus, ut jam non Catenæ duæ, vel tres, sed una existeret: Quo prodigio apparuisse, easdem Catenas sejungi non oportere, quæ, licet diversis locis, fuissent tamen ab eodem Apostolo Petro consecratæ. Id ipsum habet Breviarium sæculo XIV. conscriptum ad usum Patrum Ordinis Prædicatorum, quod extat in Bibliotheca Casanatensi (n), Auctor Historiæ de Vinculis S. Petri apud Boninum Mombritium (o), Legendarium Collegii S. Clementis Hispanorum Bononiæ (p), Breviarium Basileense anni MCCCCLXXVIII., & anni MD., Romanum S. Pii V., Præmostratense (q), Bisuntinum (r), & Bellovacense (s). Quamquam, (vere ut dicam quod sentio), optandum esset, ut miram hanc Catenarum conjunctionem referrent vetustiores illi Scriptores, qui ab Eudoxia Romam delatas Hierosolymitanas Petri Catenas narrant; præsertim vero Auctor Sermonis in Vincula S. Petri, qui in Homiliario Alcuini extat, Codex Palatino-Vaticanus CCCCLXX. sæculi X., Sigebertus, Lectionarium Basilicæ S. Stephani Bononiæ, Gervasius Tilberiensis, Honorius Augustodonensis, Breviarum Palatino-Vaticanum DXIII; & DXVI., Martinus Minorita, Ricobaldus Ferrariensis, & Hermannus Gygas; qui plura de his Catenis habent. Etenim si tantam rem conticuissent, qui de Catenis hisce

(*) Vide homil 8. in Epist. ad Ephesios n. 1. pag. 53. t. XI., & homil. 10. in Epist. ad Colossenses n. 4. pag. 401. t. XI. Oper.
(a) Pag. 751. edit. Ruinart.
(b) Pag. 861. (c) Vide Combefisium t. 7. Biblioth. Concionat. pag. 425. edit. Paris. 1662.
(d) In Explicat. Divin. Offic. cap. 141. pag. 367. Rational. Divin. Offic. Durandi Venet. 1568.
(e) Lib. 7. Rationalis cap. 19. pag. 293. [f] Lib. 7. Catalog. Sanct. cap. 3. [g] Ad ann. 439. n. 7.
(h) Storia delle Stazioni di Roma pag. 51. Roma 1588. [i] Tesori nascosti di Roma pag. 210.
(k) Lib. 4. de Urbe Roma cap. 3. pag. 465.
[l] In notis ad Martyrolog. Ecclesiæ Occidentalis ad diem 1. Augusti pag. 695.
[m] Osservaz. sopra i Cimiteri de Martiri lib. 1. cap. 60. pag. 313. (n) Cod. D. IV. 20. fol. 316.
(o) T. 2. Vit. Sanct. fol. 224. (p) Fol. 151. col. 3. (q) Edit. Virduni ann. 1725.
[r] Anni 1712. (s) Anni 1741.

hisce ne verbum quidem faciunt, non magni faciundum hoc esset; sed quod, qui earumdem quasi historiam enarrant, ii de tanto, ac tam inaudito prodigio taceant, hoc illud est, quod de rei veritate aliquam ingerere videtur suspicionem. Nam & Sigebertus (*a*), Auctor Magni Chronici Belgici (*b*), Martyrologium Bruxellense (*c*), & Scriptura quædam antiqua sæculi XII. apud Papebrochium (*d*) illud aperte narrant, duabus Catenis ab Eudoxia allatis, & una quæ Romæ jam erat a Pontifice Romano confectam (ut ipsi ajunt) *Triadem*. Quæ res, si eruditos quosdam viros audiamus, omnem prodigio illi adimit fidem.

III. Jam vero non est prætereundum eximium, ac plane singulare prodigium, quod anno DCCCCLXIX. contigisse Sigebertus, qui non multo post id temporis floruit, narrat ad eum annum in Chronico (*e*) his verbis = *Quidam Comes Ottonis Imperatoris, ei familiaris, Romæ ante oculos omnium a diabolo arreptus, ita ut seipsum dentibus discerperet, jussu Imperatoris ad Papam Joannem adductus, ut Catena S. Petri collo ejus circumdaretur. Dum a fallacibus Clericis semel & bis & alia Catena furenti adhiberetur, nec quicquam remedii provenirct, ubi nihil virtutis inerat, tandem vera Sancti Petri Catena allata, & collo furentis circumdata, diabolus spumans, & multum clamans abscessit*. Id ipsum repetit in Vita Theodorici Episcopi Metensis (*f*), quam publicavit Leibnitius. Quin eamdem rem tradunt Annalista Saxo (*g*), qui Historiam suam ab initio Regni Francorum usque ad annum MCXXXIX. persequutus est, Auctor Chronici Turonensis (*h*), quod in anno MCCXXVI. desinit, Auctor Historiæ Monasterii S. Laurentii Leodiensis (*i*), quam evulgavit Martene, Siffridus Misnensis (*k*), Hermannus Cornerus (*l*) & alii (*m*); ut propterea de rei mire gestæ veritate, quam etiam Baronius (*n*), Severanus (*o*), Ugonius (*p*), ac Browerus (*q*) referunt, nullus dubitandi sit locus.

IV. Neque consequentibus temporibus non plura in his Catenis miracula apparuerunt. Sanctes Augustiniani Instituti Alumnus, qui anno MDLXXXXV. Librum de Stationibus Urbis Romæ edidit, auctor nobis est (*r*), quod permulta sane fierent. Ex quo maximi hominum concursus ad eas Catenas venerandas, exosculandasque fieri cœperunt; quod magna vis utilitatis est vel in ipsa religione, ut homines eo cultum majorem adhibeant, unde sperant majorem aliquem fructum se percepturos.

§. VI.

(*a*) In Chronico ad ann. 438. pag. 496. t. 1. Rer. Germanic. Pistorii.
[*b*] Pag. 15. t. 3. Script. Rer. Germanic. Joannis Pistorii edit. Struvii.
[*c*] Pag. 441. Auctar. ad Usuardum t. 7. Act. Sanct. Junii.
[*d*] In Analect. de Reliquiis SS. Apostol. Petri & Pauli §. IX. n. 112. pag. 451. t. V. Act. Sanct. Mensis Junii.
[*e*] Ad ann. 969. pag. 585. t. 1. Script. Rer. Germanic. Pistorii.
[*f*] Cap. 16. pag. 304. t. 1. Script. Rer. Brunsvicens.
[*g*] Pag. 315. t. 1. Corp. Historic. Medii Ævi Eccardi.
(*h*) Pag. 990. t. V. Veter. Monument. Martene.
(*i*) N. 2. pag. 1036. t. 4. Vet. Monum. Martene.
(*k*) Lib. 1. Epitomes pag. 1033. t. 1. Script. Rer. Germanic. Pistorii edit. Struvii.
(*l*) In Chronico pag. 538. t. 2. Corp. Historic. Eccardi.
(*m*) Auctor Histor. de Vinculis S. Petri apud Bonin. Mombrit. t. 2. Vit. Sanct. fol. 324., Legendarium Collegii S. Clementis Bononiæ fol. 151. col. 4., Breviar. Ordinis F. P. Prædicatorum sæc. XIV. fol. 327. Cod. D. IV. 20. Biblioth. Casanat., Breviar. Basileense an. 1478. & 1500.
(*n*) Ad ann. 969. n. 15.
(*o*) Memorie Sacre delle sette Chiese di Roma part. 2. pag. 189.
(*p*) Stazioni di Roma fol. 56.
(*q*) In Annalibus Trevirensibus ad ann. 969. pag. 473. t. 1. Leodii 1670.
(*r*) Pag. 32.

§. VI.

De annulis, & ramentis Catenarum D. Petri, quæ olim a Romanis Pontificibus ad Principes, aliosque illustres Viros missa sunt, quæque alibi etiamnum custodiuntur.

I. EX hoc fonte profluxit maximum illud, ac vehemens desiderium, quo Christiani flagrabant, comparandi vel minimam partem aliquam Catenarum: quam si haberent, nihil sibi fere deesse arbitrabantur ad incolumitatem, & fortunas suas. Hinc etiam extitit consu etudo illa Romanorum Pontificum mittendi ad Reges, & Principes Viros Petri Catenarum ramenta, & annulos, optatissimi muneris loco. Qui annuli pluribus in locis summa diligentia, ac religione etiamnum custodiuntur. Justinianum Imperatorem ab Hormisda S. Petri Catenarum partem aliquam postul asse per Legatos suos, jam diximus; quam obtinuisse haud inveri simile videtur Bailleto (*a*); etsi nusquam id factum legamus. Pelagius quoque II., vel hunc qui antecessit Pontifex, Clavim illam auream Petri Catenarum ramenta continentem ad Langobardos misit, quam uni inter eos, propterea quod illam contempsisset, exitiosam fuisse, ex Gregorii Magni (*b*) testimonio indicavimus. Quid? idem Gregorius sæpissime Catenarum ramenta ad Reges, aliosque illustres Viros dono misit, ut in ejus Epistolis legimus. Sic ad Andream Illustrem scribens (*c*) = *Præterea sacratissimam Clavem*, inquit, *a S. Petri Apostoli corpore vobis transmisi, quæ ... de ejus Catenis interius habet* = Quæ quidem verba cum repetat in Epistola ad Joannem Exconsulem (*d*), quis dubitare poterit, quin & ad eum hujusmodi ramenta miserit? Epistola vero ad Dynamium Patricium, quæ est XXXIII. lib. III. sic habet (*e*) *Transmisimus autem beati Petri Apostoli benedictionem, crucem parvulam, cui de Catenis ejus beneficia sunt inserta*. Ad Columbum autem Episcopum scribens (*f*) = *Claves*, inquit, *beati Petri, in quibus de Catenis ipsius inclusum est, sibimet pro benedictione transmisi.* Et ad Childelbertum Francorum Regem (*g*) = *Claves præterea S. Petri*, ait, *in quibus de Vinculis Catenarum ejus inclusum est, Excellentiæ vestræ direximus*. Leguntur & hæc in Epistola ad Leontium Exconsu-

(*a*) Vies des Saints ad diem 1. Augusti n. 2. pag. 4.
(*b*) Lib. 7. Epist. 26. pag. 872.
(*c*) Lib. 1 Epist. 30. pag. 520.
(*d*) Lib 1. Epist. 31. pag. 520.
(*e*) Pag. 748.
(*f*) Lib. 3. Epist. 48. pag. 659.
(*g*) Lib. 6. Epist. 6. pag. 796.

ſulem (*a*) = *Præterea benedictionem vobis S. Petri Apoſtolorum Principis, clavem ſacratiſſimi ſepulcbri ejus, in qua benedictio de Catenis illius eſt inſerta, tranſmiſimus*. Extant & iſta in Epiſtola ad Theodorum Medicum Conſtantinopolitanum (*b*) = *Benedictionem vero S. Petri Apoſtolorum Principis, quem multum diligitis, Clavem a ſacratiſſimo ejus corpore vobis tranſmiſimus, in qua ferrum de Catenis ejus clauſum eſt*. Et Epiſtola ad Recharedum Wiſigothorum Regem (*c*) = *Clavem vero parvulam a ſacratiſſimo beati Petri Apoſtoli corpore vobis pro ejus benedictione tranſmiſimus, in qua ineſt ferrum de Catenis ejus incluſum*. Et Epiſtola ad Aſclepiodotum Patricium (*d*) in Galliis, ſic ait = *Clavim vero a ſacratiſſimo beati Petri corpore, in qua de Catenis ejus benedictio continetur, tranſmiſimus*. Habet idipſum in Epiſtola ad Savinellam (*e*) data, inquiens = *Præterea Gloriam veſtram paterno ſalutantes affectu, indicamus per latorem præſentium Hilarum chartularium noſtrum, Clavim nos a ſacratiſſimo corpore beati Petri Apoſtolorum Principis tranſmiſiſſe, in qua de Catenis quoque ipſius benedictio continetur*. Denique, ut omittam quæ habet in Epiſtolis ad Anaſtaſium Patriarcham Antiochenum (*f*), & Secundinum (*g*), ſunt enim iis, modo quæ narravimus, fere ſimilia; ſic Epiſtolam ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum ſcriptam claudit (*h*) = *Præterea tranſmiſimus crucem parvulam, in qua de Catenis amatorum veſtrorum ſanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum inſerta eſt benedictio*.

II. Vitalianus etiam, qui anno DCLVII. creatus fuit Pontifex, Clavem cum Catenis S. Petri ad Conjugem Oſwii Northanhumbrorum Regis miſit, ut ex ipſius Vitaliani Epiſtola ad eum data, quam refert Beda lib. III. Hiſtoriæ Anglorum cap. XXIX. (*i*) intelligimus; in ea namque ſic loquitur = *Nam & conjugi, noſtræ ſpirituali filiæ direximus per præfatos gerulos crucem Clavem auream habentem, de ſacratiſſimis Vinculis Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli*. Conſtantinus quoque, qui renunciatus fuit Pontifex anno DCCVIII., ad Eoaldum Viennenſem Archiepiſcopum Catenas S. Petri dono miſit; ſic enim ad eum ſcribit (*k*) = *Reliquias Eccleſiæ tuæ ſicut rogaſti per Archidiaconum tuum deſtinavi: de ſpongia Domini, de veſtimentis Domini, de Vinculis Apoſtolorum*. Idipſum a Gregorio III. anno DCCXLI. cum Carolo Martello factum eſt, ut ad eum annum tradit Continuator Fredegarii capite CX. (*l*), cujus hæc ſunt verba = *Eo tempore bis a Romana Sede S. Petri Apoſtoli beatus Papa Gregorius Claves venerandi Sepulchri, cum Vinculis S. Petri .... memorato Principi* (Carolo Martello) *deſtinavit*; nam quod Vincula S. Petri tranſmiſſa fuiſſe affirmat, ſic eſt accipiendum, ut

(*a*) Lib 8. Epiſt. 35. pag. 924.
[*b*] Lib. 7. Epiſt. 28. pag. 874.
[*c*] Lib. 9. Epiſt. 122. pag. 1031.
[*d*] Lib. XI. Epiſt. 14. pag. 1101.
[*e*] Lib. [illegible] Epiſt. [illegible] pag. 1185.
(*f*) Lib. 10. Epiſt. 26. pag. 117.
(*g*) Lib. 9. Epiſt. 52. pag. 972.
(*h*) Lib. 13. Epiſt. 42. pag. 1248.
(*i*) Pag. 82. t. 3. Oper. edit. Coloniæ Agrippinæ 1688.
(*k*) Cap. 4. pag. 42. Antiquitat. Sacrar. & Prophanar. Viennenſ. Joannis a Boſco, quæ adjectæ ſunt Bibliothecæ Floriacenſi ejuſdem edit. Lugduni 1605.
(*l*) Pag. 680. Oper. Gregorii Turonenſis edit. Ruinart.

ut ramenta Catenarum intelligat, quod recte animadvertit Papebrochius (*a*). Assentitur & Joannes Iperius in Chronico S. Bertini capite V. (*b*) inquiens= *Carolus Tudites . . . Legates Papæ bis ab Apostolica Sede suscepit, qui sepulchri beati Petri Apostolorum Principis Claves, & pretiosa Vincula cum magnis muneribus detulerunt* = Eademque narrant Auctor Gestorum Regum Francorum apud Duchesnium (*c*), & Auctor Chronici Fontanellensis (*d*), qui sæculo VIII. floruit, a D' Acherio excusus.

III. Sed & Leonem III. Claves Confessionis S. Petri ad Carolum Francorum Regem anno DCCLXXXXVI. dono misisse commemorant Annales Loiseliani (*e*), Auctor Chronici a Duchesnio editi [*f*], quod in anno DCCCX. definit, Annales Francorum (*g*), Eginhardus (*h*), Annalista Metensis (*i*), Auctor Vitæ Caroli Magni (*k*), & Poeta Saxo (*l*), qui res ab eodem Carolo gestas expressit versibus. Quibus sane Clavibus, (quicquid secus statuant Nicolaus Alemannus (*m*), & Andreas Victorellus (*n*)), parvula Petri Catenarum segmenta inclusa fuisse, Cardinales Baronius (*o*), & Bellarminus (*p*) recte animadvertunt, quibus addendi Papebrochius (*q*), & amicus meus eruditissimus Josephus Catalanus (*r*). Nam quod Victorellus ait, Claves a Leone ad Carolum missas, illas fuisse, quæ vel Vaticanæ Basilicæ clauderent fores, vel penetralia sepulchri Principis Apostolorum custodirent; eamque ob rem a Leone monitum Carolum, ut intelligeret, se, cum Claves illas acciperet, Romanæ Ecclesiæ defensionem suscipere oportere: non repugno quidem, quod ait, fuisse Claves sepulchri, seu Confessionis Principis Apostolorum. Scriptores enim plane omnes, qui de Clavibus istis a Leone ad Carolum missis mentionem faciunt, *Claves Confessionis S. Petri* appellant. Sed quod Basilicæ Vaticanæ Claves fuisse contendit, id est, quod, cum auctore nemine dicat, probari nemini potest. Jam vero Clavibus Confessionis S. Petri Catenarum ramenta includi solemne fuit: quod ex iis Gregorii Magni testimoniis intelligimus, quæ jam retulimus. Quod autem Clavibus a Leone missis Romanæ Ecclesiæ defendendæ procuratio significaretur; pulcherrima fuit Gregorii III., & ejusdem Leonis cogitatio; quæ nihil tamen ad nostram infirmandam

(*a*) In Analectis de Reliquiis SS Apostol. Petri, & Pauli §. X. n. 118. pag. 452. t. V. Act. Sanct. Junii.
(*b*) Pag. 483. t. 3. Thesaur. Anecdot. Martene.
(*c*) Pag. 720. t. 1. Script. Rer. Francicar. Parisiis 1636.
(*d*) Cap. 9. pag. 271. t. 2. Spicileg.
[*e*] Ad Ann. 796. pag. 39. t. 2. Script. Histor. Francor. Duchesnii Paris. 1641.
(*f*) Ad ann. 796. pag. 162. t. 3. Script. Histor. Francor. Duchesnii Paris. 1641.
(*g*) Pag. 17. t. 2. Script. Histor. Franc. Duchesnii Paris. 1636.
(*h*) De Gestis Caroli Magni pag. 249. t. 2. Duchesnii.
(*i*) Ad ann. 796. pag. 287. t. 2. Duchesnii.
[*k*] Pag. 57. t. 2. Duchesnii.
(*l*) Pag. 159. t. 2. Duchesnii.
[*m*] In Dissertat. de Lateranensibus Parietinis cap. 14. pag. 145. Romæ 1625.
(*n*) In Additionibus ad Ciacconium in Vita Leonis III. pag. 568. & 569. t. 1. Vit. Roman. Pontiff.
[*o*] Ad ann. 796. n. 21.
[*p*] De Translat. Imperii lib. 1. cap. 13. pag. 945. t. 2. Oper. edit. Venet. ann. 1721.
[*q*] In Analectis §. X. n. 122. pag. 453.
[*r*] Comment. in Pontifical. Roman. t. 2. tit. 24. n. 7. & 8. pag. 396.

dam ſententiam valet; cum id ipſum innuere poſſent Claves etiam, quibus aliquid venerabilium Catenarum inſertum foret. Nam quod Alemannus ait, de Catenarum ramentis a Leone ad Carolum directis, omnino ſilere Scriptores, qui Claves Confeſſionis tranſmiſſas narrant; id levius profecto eſt, quam ut refutandum ſit. Quid enim Catenas Clavibus incluſas dicerent, quibus jam ex more inſeri, ſatis erat notum, atque perſpectum?

III. At utcumque hæc ſe habeant: Hadrianum I., qui Leonem III. præceſſit, VII. Petri Catenarum annulos Deſiderio Langobardorum Regi dono dediſſe teſtatur Antonius Boſius *in Relatione Hiſtorica Inventionis Corporis S. Cæciliæ* (*a*); ubi etiam tradit, ab eodem Deſiderio in Templo S. Petri de Clavate prope Lacum Larium Ditionis Mediolanenſis, quod ille exædificarat, fuiſſe poſitos, atque illic permanſiſſe, quoad a Cardinali Paulo Æmilio Sfondrato, cui Clemens VIII. Templi illius procurationem commendaverat, Romam delati, ac in Æde S. Cæciliæ, ubi etiamnum coluntur, collocati ſunt. Quos ad viſendos cum acceſſerim, diligenterque conſiderarim, comperi, quam ſimillimos eſſe eorum annulorum, qui noſtras Catenas conficiunt, ut minime dubitem, hinc illos omnino fuiſſe detractos.

IV. Jam vero IX. ſæculo Conſtantinopoli in Æde S. Petri, (quæ intra ſepta Templi S. Sophiæ erat), unam illarum Catenarum fuiſſe, quæ Hieroſolymis Petro fuerunt injectæ, habemus ex Menologio Baſilii Imperatoris (*b*); ex Menologio Græcorum a Caniſio edito (*c*), & ex Narratione Hiſtorica (*d*), quam legunt Græci in officio, quod de Catenis S. Petri celebrant die XVI. Januarii. Sed utrum Catena illa S. Petri vere fuerit, dubitat Bailletus (*e*); at Papebrochius (*f*) hujuſce Græcorum opinionis rationem aliquam habendam eſſe cenſet. Illam Conſtantinopolim ab Eudocia Theodoſii coniuge fuiſſe delatam, cum Hieroſolymam profecta, illuc remeavit, tradunt Baronius (*g*), Ugonius (*h*), Pancirolus (*i*), Labbeus [*k*], Petavius (*l*), Donatus [*m*], Boldettus (*n*), aliique. Apud Græcos vero altum de Eudocia ſilentium; ſed quas Petri Catenas habent, ab Imperatoribus Conſtantinopolim delatas fuiſſe teſtantur [*o*]. Et quidem cum Juſtinianus, qui LX. ſolum annis poſt Eudociam vixit, ab Hormiſda aliquid Catenarum S. Petri poſtulaverit, eas ut Conſtantinopoli in Templo collocaret, quod in honorem Apoſtolorum exædifi-

F ca-

(*a*) Pag. 181. Hiſtor. Paſſion. S. Cæciliæ Romæ 1600. Videatur etiam Severanus *Sette Chieſe* part. 1. pag. 139.
(*b*) Ad diem 16. Januar. pag. CXL. t. 2., & pag. 345. Anecdot. Ughelli.
(*c*) Pag. 413. p. 1. t. 3 Lection. Antiquar.
(*d*) Apud Papebrochium in Analect. de Reliq. SS. Apoſtol. Petri, & Pauli §. X. n. 115. pag. 452. t. V. Act. SS. Junii.
(*e*) Vies des Saints ad diem I. Auguſti n. 2. pag. 5. & n. 4. pag. 8. t. 8.
(*f*) In Analectis §. X. n. 115. pag. 452.
(*g*) Ad an. 439. n. 4. & in notis ad Martyrolog. Roman. ad diem I. Auguſti.
[*h*] Stazioni di Roma fol. 50.
[*i*] Teſori naſcoſti di Roma pag. 210.
[*k*] In Chronolog. Hiſtoric. ad an. 439. pag. 313. p. 2.
[*l*] Lib. 13. de Doctrin. Tempor. pag. 451. t. 2.
[*m*] Lib. 4. de Urbe Roma cap. 3. pag. 465.
[*n*] Oſſervazioni ſopra i Cimiteri de i Martiri lib. 1. cap. 60. pag. 313.
[*o*] Ita Auctor Sermonis de Vinculis S. Petri apud Lipomanum p. 1. de Vitis Sanctor. pag. 330., Menologium Baſilii Imperatoris, Menologium Græcorum Caniſii, Narratio Hiſtorica, quam legunt Græci in officio diei 16. Januarii, locis jam citatis.

caverat (*a*), plane ostendit, ante illud tempus Constantinopoli Petri Catenam fuisse plane nullam. Accedit quod Scriptores illi, qui Eudoxiam in nostram Æde Catenas Petri Hierosolymitanas collocasse referunt, non Catenam unam, sed duas, (quot Petrus Hierosolymis devinctus fuit), collocasse testantur (*b*); ut nulla propterea ab Eudocia Constantinopoli collocari potuisse videatur. At ego in re tam obscura si divinare quicquam possem, arbitrarer equidem, Catenam illam, qua Græci gloriabantur, ab Hormisda ad Justinianum missam fuisse, quando per Legatos suos aliquid Catenarum S. Petri postulavit; aut saltem Justinianum ab Hormisda ramenta Catenarum accepisse, ex quibus alieno ferro commixtis Catenam efformaverit instar earum, quibus Petrus Hierosolymis devinctus fuerat; ex quo Petri Catena dicta sit; eamque in Templo Apostolorum primò collocasse; deinde vero consequutis temporibus in Ædem S. Sophiæ fuisse translatam; & fortasse ab eodem Justiniano, quum eamdem sacram Ædem magnificentissime refecit (*c*), atque exornavit.

V. Colonia Agrippinensis suos quoque habet uncos S. Petri Catenarum, quos in majori Urbis Templo positos, pie, augusteque veneratur. Hoc tradit Ægidius Gelenius libro III. de Magnitudine Coloniæ Agrippinæ (*d*), etsi in eo lapsus sit, quod uncos illos a Gregorio III. ad Carolum Martellum fuisse missos putarit; constat enim eos esse, quos ab Agapeto II. Romano Pontifice accepit Bruno Antistes Coloniensis Ottonis Regis Romanorum frater: de quo hæc narrat Rotgerus in ejus Vita (*e*): *Sanctorum corpora, atque reliquias undequaque collegit. Baculum, & Catenam S. Petri, qua diligentia, quo fervore, quo gaudio Coloniam alterum Meti, alteram Roma adduxerit, omnes noverunt, in cujus honorem domum ejus honoratissimam mirabiliter ampliatam, quam de pulchra pulcherrimam fecit.*

VI. Theodoricus item Metensis Episcopus, anno DCCCCLXIX. Romæ cum esset, quando divinitus Comes ille Imperatoris Ottonis familiaris, modo quem diximus, a malo dæmone fuit liberatus, unum Catenarum annulum a Joanne XIII. flagitavit, impetravitque. Rem sicuti narrat Sigebertus in Vita ejusdem Theodorici capite XVI. (*f*) exponam = *Quod ut vidit*, (hoc est miram Comitis a tanta calamitate liberationem), *Domnus Deodericus Metensis, arripuit Catenam, manuque involvit, dicens: nullo modo nisi manu abscissa dimittendam. Huic litigio accurrit Domnus Imperator, & quis tantus tumultus esset inhianter investigare cœpit. Cui cum indicatum esset, & prioribus verbis Episcopus responderet;*

(*a*) Vide Suggest. Legator. Justiniani inter Epistolas Hormisdæ pag. 648. t. V. Concil. Labbei. Templum porro istud vocabatur *Apostolorum ad Hormisda Aulam*. Ducangius lib. 4. Constantinopol. Christian. n. 26. pag. 78. edit. Venet.

(*b*) Ita Auctor Sermonis in Vincula S. Petri, qui legitur in Homiliario Alcuini pag. 880., Codex Palatino-Vaticanus 470., Sigebertus, Joannes Belethus, Lectionarium Basilicæ S. Stephani Bononiæ, Gervasius Tilberiensis, Durandus, Ricobaldus Ferrariensis, Andreas Ratisponensis, Auctor Magni Chronici Belgici locis jam citatis pag. XXIII. hujus Dissertationis.

(*c*) Vide Procopium lib. 1. de Ædificiis Justiniani cap. 1. pag. 395. edit. Venet., Agathiam lib. 5. de Rebus Gestis Justiniani pag. 106., Paulum Warnefridi lib. 1. de Rebus Gestis Langobardorum cap. 25. pag. 421. t. 1. Rer. Italicar., & Ducangium lib. 3. Constantinopolis Christianæ pag. 6. edit. Venet. anni 1719.

(*d*) Syntagm. I. §. V. pag. 237. Colon. Agrippin. 1645. & pag. 64. Hierothec. Coloniensis. Videatur Erhardus Winheim Sacrar. Agrippin. pag. 40.

(*e*) N. 26. pag. 283. t. 2. Script. Rer. Brunsvicens. Leibnitii.

(*f*) Pag. 304. t. 1. Script. Rer. Brunsvicensium.

ret ; converſus Rex etiam ipſe cœpit petitor exiſtere , & ut id fieret vehementer expoſcere . Quod & Papa libentiſſime annuit ; licet plurimus Ordo Eccleſiæ Romanæ graviter reluctaverit , & ferra deportata cuſtos abſcidit . Quam partem , interveniente cauſa alius negotii , Papæ , quoniam cariſſimus amor erat inter utroſque , reccomendavit . Sed poſtea miſſo Rothardo Diacono , eam ab Eccleſia , quæ dicitur ad Vincula (*a*), *ubi hoc factum fuerat , Domno Papa concedente , aſportavit* . Et in Chronico ad annum DCCCCLXIX. (*b*) = *Qua Catena* , inquit , *Deodericus Metenſis Epiſcopus arrepta , cum diceret ſe eam niſi manu ejus abſciſſa non dimiſſurum , tandem Imperator , ſedato litigio , a Papa Joanne obtinuit , ut annulum hujus Catenæ exſectum Epiſcopus mereretur* . Referunt id ipſum Annaliſta Saxo (*c*), Auctor *Hiſtoriæ Monaſterii S. Laurentii Leodienſis* (*d*), Auctor *Hiſtoriæ Sanctorum a Deoderico Metenſi Epiſcopo repertorum* (*e*), Siffridus Miſnenſis (*f*), & Hermannus Cornerus in *Chronico* (*g*).

VII. Fuit & Vitriaci in Monaſterio Dervenſi pars Catenarum iſtarum ; per Catenam enim S. Petri anno DCCCCLXXXXI. (*h*) ſaluti reſtitutus eſt Heribertus Comes Trecenſis , cognomento Vetulus , ut Monachus Dervenſis , qui miracula S. Berchiarii deſcripſit , refert . Poſtquam enim Heribertum ad Abbatem Adſonem miſiſſe enarravit , ut ipſe , & familia omnis Deum precaretur pro illius ſalute , ſic proſequitur (*i*) = *Ipſe quoque Deo devotiſſimus Abbas , Miſſa peracta , Catenam S. Petri , cum aliqua parte reliquiarum S. Martyris* (Berchiarii) *lavans , ei in vaſe parviſſimo tranſmiſit ad potandam . Ipſam ergo lavationem ut potavit , mox ſomno corripitur , ſurgenſque poſt longam pauſationem , nullo monente cibum petiit , ſanitati deinceps reſtitutus* .

VIII. Anno MLXXIX. ad Alphonſum Caſtellæ Regem dono miſit Gregorius VII. Clavem auream cum Catenis S. Petri . Quod conſtat ex Epiſtola VI. libri VII. (*k*), quam eo anno ad illum ſcripſit , in ea enim hæc habet = *Ex more ſanctorum miſimus vobis Clavicularn auream , in qua de Catenis beati Petri benedictio continetur* .

IX. In Eccleſia Cathedrali Mindenſi tempore Annonis Epiſcopi , qui obiit anno MCLXXXV. erant = *Quatuor anſæ de B. Petri Apoſtoli Catena* = , ut tradit Auctor Chronici Mindenſis (*l*) , quod edidit Meibomius . Avenione quoque

(*a*) Hinc refellitur Severanus , qui part. 1. pag. 139. *Memorie delle Sette Chieſe di Roma* neſcio quas Petri Catenas in Baſilica Vaticana olim extitiſſe commentus , in qua tamen nullæ unquam fuerunt ; exiſtimavit ab illis fuiſſe detractum annulum illum , quem Theodoricus a Joanne accepit , æque ac illos , quos Bruno obtinuit . Sigeberto autem conſentit Auctor Hiſtoriæ inventionis Sanctorum a Deoderico Epiſcopo Metenſi repertorum apud D' Achery t. 6. Spicileg. pag. 134. ubi ita ſcribit — *Inter hæc Romam miſſo prædicto Diacono Rothardo , dono Domini Papæ Joannis , qui XIII. in eo nomine erat , partem non modicam Catenæ* (ideſt annulum ut habent alii ſcriptores) *B. Petri , in Baſilica , quæ dicitur ad Vincula , eamdem portionem raſecante promeruit* .
(*b*) Pag. 586. t. 1. Rer. Germanic. Piſtorii edit. Francofurti 1613.
(*c*) Pag. 315. t. 1. Corpor. Hiſtor. Medii Ævi Eccardi .
(*d*) N. 2. pag. 1036. t. 4. Veter. Monum. Martene .
[*e*] Pag. 134. t. 2. Spicileg. D' Achery .
[*f*] Lib. 1. Epitomes pag. 1033. t. 1. Rer. Germanic. Piſtorii edit. Struvii .
(*g*) Pag. 538. t. 2. Corpor. Hiſtoric. Eccardi .
(*h*) Videatur Mabillonius in Annalib. Ordin. S. Benedicti lib. 50. n. 60. ad ann. 991. pag. 68. t. 4. edit. Lucæ .
(*i*) N. 13. pag. 816. t. 2. Act. Sanctor. Ordinis S. Benedicti Mabillonii .
(*k*) Pag. 460. t. 12. Concil. Labbei .
(*l*) Pag. 563. t. 2. Rer. Germanicarum .

V. harum Catenarum extant annuli, ut ex Catalogo Reliquiarum Avenoniensium (*a*) constat. Et Cardinalem Ægidium SS. Cosmæ, & Damiani anno MCCXX. inter cæteras Sanctorum reliquias Friderico de Claromonte dono datas, dedisse etiam de *Catena Vinculi S. Petri Apostoli*, habet unum ex illis Actis, quod Ughellus (*b*) publicavit. Nam & Aquisgrani pars quædam modica Catenæ S. Petri extat, quod testatur Indiculus Reliquiarum illius Urbis (*c*).

X. Nec dubito quin Ticini olim aliqua Catenarum istarum pars foret. Illic est Templum *S. Petri ad Vincula* nuncupatum, cujus præter Anonymum Ticinensem (*d*) a Muratorio editum, mentionem faciunt Stephanus Breventanus (*e*), Antonius Spelta (*f*), Ferdinandus Ughellus (*g*), & Romualdus a S. Maria (*h*). Templum autem antiquum est, cum illuc invectas fuisse reliquias S. Sebastiani a S. Damiano Episcopo, qui floruit circa annum DCLXXX., narrent Auctores, quos diximus. Quin immo de eo Templo loquutum fuisse Paulum Warnefridi libro VI. de Gestis Langobardorum capite V. (*i*) contendit Horatius Blanchus (*k*); etsi Baronius [*l*] ita illius verba interpretetur, ut ad nostrum Templum pertinere existimet. Cum autem prope Ravennam ad octavum a Civitate milliarium, aliud sit Templum *S. Petri ad Vincula* nuncupatum, quod a S. Stephano Ungarorum Rege circa annum MI. constructum fuit, ut tradit Augustinus Lubinus (*m*), illic quoque quosdam Catenarum annulos quondam fuisse non temere suspicamur; tametsi nulli illic modo sint, sicuti nec Ticini.

XI. Sed profecto ex iis nonnulli in eo Templo erant, quod in honorem S. Petri exædificavit (*n*) Achilles Episcopus, etsi quo loci illud esset, obscurum sit. Fidem hujus rei facit Inscriptio quædam, quæ in Appendice ad Gruterum legitur, (*o*) atque ita se habet =

QVI ROMAM ROMAQVE VENIS HINC ASPICE MONTEM
EQVE PETRI SEDE POSCE VIATOR OPEM
QVÆ MERITIS QVÆ SANCTA FIDE DISTAT AB ILLA
CRVX ILLIC REGNVM HIC QVOQVE VINCLA PETRI
OMNIA MAGNANIMVS PASTOR CONSTRVXIT ACHILLIS
SOLLICITAS POPVLI HVC ADHIBETE PRECES.

Verum an ex nostris Catenis detracti annuli illi fuerint, non plane constat. Nam istos, & etiam alios ex iis, quos jam recensuimus, verisimile est ad instar nostrorum

(*a*) Apud Papebrochium in Analectis de Reliquiis SS. Apostolorum Petri, & Pauli §. X. n. 119. pag. 453. t. V. Act. Sanct. Mensis Junii.
(*b*) T. 1. Italiæ Sacræ pag. 233. edit. Venetæ ann. 1717.
(*c*) Apud Papebroch. in Analect. §. X. n. 119. pag. 553.
(*d*) De Laudibus Papiæ cap. 2. pag. 10. cap. 14. pag. 28. & cap. 19. pag. 42. t. XI. Rer. Italicar.
(*e*) Storia di Pavia lib. 2. cap. XI. pag. 36. Pavia 1570.
(*f*) Storia de Vescovi di Pavia pag. 160. Pavia 1602.
(*g*) De Episcopis Papiensibus n. 32. pag. 1082. t. 1. Italiæ Sacræ.
(*h*) Flavia Papia Sacra part. 1. pag. 130. & part. 3. pag. 75. Ticini 1699.
(*i*) Pag. 492. t. 1. Rer. Italicar.
(*k*) In notis ad Paulum Warnefridi pag. 493. t. 1. Rer. Italicar.
(*l*) Ad ann. 680. n. 59. & 60.
(*m*) In Notitia Abbatiarum Italiæ verbo *Ravenna* n. 28. pag. 318. Romæ 1693.
(*n*) Vide Gruterum pag. MCLXXV. n. 7. & Baronium ad ann. 439. n. 7.
(*o*) Pag. MCLXXV. n. 9.

rum fuisse fabrefactos, illisque aliquid ramentorum harum Catenarum immissum, atque insitum; & propterea annulos Catenarum S. Petri fuisse appellatos. Nam & Christi Crucifixi Clavos, qui tres, quatuorve fuisse perhibentur (a), ad vigintiquinque hac ratione auctos, & multiplicatos, Bosius (b), & Fontaninus (c) existimarunt. Quod quidem animadvertendum duximus, ut iis occurreremus, quibus incredibile videri posset, tot annulos Catenarum Sancti Petri per Orbis Ecclesias dispersos fuisse, cum tamen plures adhuc in nostra Basilica reliqui sint. Hic autem & illud considerandum, Catenas, quibus S. Petrus Hierosolymis devinctus est, satis longas fuisse oportere, cum illis & Petrus & milites, qui illum custodiebant, forent alligati; quod tradit Chrysostomus homilia IX. in Matthæum (d). Idem hoc ipsum autem de Catenis, quibus vinctus est Romæ, dici potest.

XII. Neque consequutis temporibus mos antiquus annulos, & ramenta Petri Catenarum dono dandi, apud Romanos Pontifices non fuit. Nam Leo X., quod habent Tabularii nostri acta, anno MDXXI. unum harum Catenarum annulum concessit Alberto Cardinali Magdeburgensi Archiepiscopo Moguntino, & sacri Romani Imperii Electori, ut in Templo S. Magdalenæ, & Mauricii ad Velum aureum Oppidi Hallensis venerandum collocaret. Et Paulus III. alium pariter annulum Uberto Cardinali Gambaræ dono dedit, quem ille in nostra sacra Æde S. Michaelis de Candiana Diœcesis Patavinæ ponendum curavit. Nostra hac ætate Annibal Cardinalis Albanus annulum unum Catenarum S. Petri Friderico Regio Poloniæ Principi, Romam cum venit, elargitus est. Mihi autem, dum S. Petri Catenarum quidpiam ubiubi esset inquirerem, & Collegii Romani Rector P. Dominicus Franchinius, & P. Contuccius Societatis Jesu, uterque non sine honore commemorandus, retulerunt, Antonium Equitem Peregrinum Villareali, nimiæ in colligendis Sanctorum Reliquiis, & propterea suspiciosæ diligentiæ hominem, annulum unum Patribus Societatis tradidisse, Romæ in magnificentissimo S. Ignatii Templo collocandum. At BENEDICTUS XIV., qui tanta cum laude Christianam Rempublicam moderatur, magnum, ac singulare ad Ecclesiam suam Bononiensem donum misisse existimavit, cum ramenta harum Catenarum anno MDCCXLII. misit; quod constat ex Epistola, quam ad Canonicos scripsit benevolentiæ, & humanitatis plenissimam.

§. VII.

(a) Videantur Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 6., Innocentius III. Serm. 7. de uno Martyre, Lucas Tudensis lib. 2. adversus Albigenses cap. XI. pag. 225. t. 25. Biblioth. Patrum, Baronius ad an. 34. n. 126., et Quaresmius de Vulneribus Christi t. 2. lib 1. cap. 9. sect. 5.

(b) Croce Trionfante lib. 1. cap. 15. pag. 100.

(c) In Dissertat. de Corona Ferrea Langobardorum cap. 13. n. 5. pag. 114. Romæ 1717.

(d) N. 2. pag. 131. t. 7. Operum.

§. VII.

Qui nostro in Templo etiamnum coluntur annuli utrum ex Hierosolymitanis, an ex Romanis beati Petri Catenis reliqui sint.

I. SEd cum tot annuli de Catenis, quæ in nostra Basilica servantur, detracti fuerint, non immerito a nobis exquirat aliquis, quid tandem Sancti Petri Catenarum apud nos reliquum sit. Duas esse Catenas illas, quæ sunt modo in hac sacra Æde, aut saltem unam in partes tributam duas, compertum cuique est, cui illas osculari concessum fuit. Ex his una XXIII. componitur annulis in longum productis, quorum postremo, qui aduncus est, & tortuosus, ferrea hæret numella, seu collaria duplici constans ferro inclinato instar semicirculi, quæ circulum ad vigintisex uncias conficit; & quam fuisse adhibitam ad collum Petri constringendum statim intelligit, eam qui oculis contemplatur. Hanc autem Catenam, seu Catenæ partem statuo non esse unam ex duabus illis, quæ Petro Hierosolymis fuerunt injectæ. In carcere enim Hierosolymitano non collum, sed manus Petro fuerunt alligatæ, ut a Sancto Luca accepimus, qui, dum refert Petrum divinitus e potestate Herodis fuisse ereptum, Catenas de illius manibus cecidisse narrat [a]. Quid? nonne Joannes Chrysostomus homilia IX. in Matthæum [b], loquens de Hierosolymitanis Petri Catenis, tradit, quod illæ & Petri, & custodientium militum manus tenebant alligatas? *Erant*, inquit, *Catenæ custodientium manibus alligatæ, erant enim illi simul cum Petro vincti*. Quare sic existimo; eam esse, qua Petrus Romæ devinctus fuit, cum ad martyrium pertraheretur; tum enim Catenam injectam collo S. Petri, pluries tradit Gregorius Magnus [c].

II. Altera vero Catena, seu Catenæ pars XI. annulis coalescit, cumque istius annuli sint prorsus similes annulorum prioris Catenæ, omnes unius Catenæ, ejusdemque artificis opus videntur. Huc accedit, quod Auctor Notitiæ de Locis Sanctorum Urbis Romæ, ab Eccardo editus (d), qui sæculo IX. floruit, unam tantum Catenam in Basilica nostra extantem commemorat, dum Basilicas Urbis recenset; inquit enim = *Basilica, quæ appellatur Vincula Petri, ubi habetur Catena, qua Petrus ligatus*. Unam quoque commemorat Nicolaus Signorilis, qui sub Martino V. floruit, in Catalogo Reliquiarum Urbis, qui in Bibliotheca Vaticana manuscriptus extat; nam enumerans Reliquias hujus nostræ Basilicæ, inquit [e] = *Item est sub Tribuna dictæ Ecclesiæ una Catena XXXII. mallearum cum*

col-

(a) In Act. Apostolor. cap. 12. ℣. 7. ubi ait — *Et ceciderunt Catenæ de manibus ejus*.
(b) N. 2. pag. 131. t. 7. Oper.
(c) Vide lib. 1. Epist. 30. pag. 520., lib. 7. Epist. 28. pag. 874., lib. 8. Epist. 35. pag. 925., & lib. 9. Epist. 122. pag. 1032. t. 2. Oper.
(d) T. I. Commentarior. de Rebus Franciæ Orientalis pag. 833. Wirceburgi 1729.
(e) Cod. 3536. fol. 61.

collario, quo fuit ligatus S. Petrus Apoſtolus. Et in Codice Tabularii noſtri (*a*), qui ad annum MCCCCXIII. refertur, ſic legitur = *A principio menſis Auguſti uſque ad Octavam, & ipſam octavam . . . aperitur venerabilis Catena*.

III. Nihilominus non ſolum qui ante, ſed & qui poſt IX. ſæculum ad noſtra uſque tempora Scriptores floruerunt, in id convenere omnes, ut aliquam Catenarum partem, quibus Petrus vinctus eſt Hieroſolymis, in hac noſtra Baſilica fuiſſe exiſtiment. Teſtes ſunt Sigebertus, Petrus Comeſtor, Joannes Belethus, Gervaſius Tilberienſis, Durandus, Lucius Faunus, Andreas Fulvius, Flavius Blondus, Baronius, Ugonius, Pancirolus, aliique plures in iis, quos non ſemel commemoravimus, locis. Hoc idem ſignificat Poſtypus ille marmoreus, qui ad ſepulcrum Cardinalis Cuſani viſitur, & olim ad Altare, ubi S. Petri Catenæ cuſtodiebantur, [*b*] extabat, illic poſitus anno MCCCCLXV. In eo enim Petrus apparet ſedens, quem Cuſanus in genua provolutus veneratur. Petro autem manu dextra Librum, & Clavem auream tenenti, ſiniſtra vero Catenam, adſtat Angelus, qualis in Hieroſolymitano Carcere adſtitit, qui & ipſe Catenam manu tenet. Quamobrem in eam ego etiam ſententiam adducor, ut brevioris Catenæ annulos, ſi non omnes, ſaltem aliquos, partem earum Catenarum eſſe putem, quæ eidem Petro Hieroſolymis fuerunt injectæ. Nam quod de annulorum iſtorum cum aliis longioris Catenæ ſimilitudine opponi poteſt; primum non ea tanta eſt, quanta forte exiſtimatur. Nam quatuor ultimi annuli brevioris hujus Catenæ cæteris minutiores ſunt, nec plane ſimiles reliquorum. Deinde facilis ſimilitudo hujuſmodi operum, quæ non exquiſito, ſed vulgari artificio fiunt; ut minime mirum videri debeat, & Hieroſolymitanas, & Romanas Petri Catenas inter ſeſe aliqua ratione fuiſſe perſimiles. Quod vero ad eos attinet, qui de Catenis noſtris loquuti *Catenam*, non *Catenas* commemorant, leve plane eſt, cum illi ipſi, qui *Catenam* commemorant, alibi *Catenas* nominent; quod præſertim apud Paridem de Graſſis ſat notum Pontificiarum Cæremoniarum Magiſtrum in Diario illius [*c*], quilibet obſervare poteſt. Fortaſſe autem nonnulli in ſingulari numero Catenas noſtras deſignarunt, quia ſimul unitæ una potius, quam plures videbantur; fortaſſe quia cum una tantum in oculis, & conſpectu omnium exponeretur, quam ſinguli exoſcularentur, putarunt nonnulli præter eam non aliam eſſe Catenam. Nicolaus autem Signorilis cum præter Catenam S. Petri commemoret etiam *modicam Catenam, qua fuit ligatus S. Paulus*, haud obſcure indicat, non unam tantum in hac Baſilica fuiſſe Petri Catenam. Nemo enim unus Scriptorum hic Pauli Catenas fuiſſe teſtatur; ut propterea Pauli Catenam nominaverit, quam Petri dicere debuiſſet. Cujus rei & illud indicium eſt, quod Petri Catenam XXXII. mallearum, ſeu annulorum fuiſſe dicat, cum tamen nunc, duobus detra-

(*a*) T. 2. Inſtrum. S. Agnetis fol. 28.

(*b*) Catenæ olim ſub Abſide hujus Baſilicæ extabant, quod teſtatur Nicolaus Signorilis fol. 61. ſui Catalogi. Translatæ ſunt poſtmodum ad eum locum, in quo nunc Organum eſt, atque illic adhuc erant, quo tempore Pompejus Ugonius librum de Stationibus Urbis edidit, quod contigit anno 1588. Vide pag. 55. Anno 1642. ad Altare majus delatæ ſunt, quod habent Archivi noſtri Tabulæ Memorial. fol. 38. Demum in Sacrario collocatæ ſunt, ubi etiam nunc cuſtodiuntur.

(*c*) Fol. 426. Cod. 137., & fol. 75. Cod. 138. Biblioth. Corſinæ. Loca retulimus pag. XXXIII. hujus Diſſertationis.

tractis, aut etiam tribus post ipsius tempora annulis, XXXIV. coalescat. Cæterum ex ea Inscriptione, quam posuit Alphonsus Puccinellius Congregationis nostræ Alumnus, qui ob egregia animi sui ornamenta sacræ Congregationis Rituum Consultor, & S. Officii Qualificator electus, tandem Archiepiscopatum Sipontinum ascendit, apparet, eo tempore opinionem illam valuisse, quæ non Catenam unam, sed duas in hac Basilica esse existimat. Sic enim habet:

D. O. M.

INNOCENTIO X. PONT. OPT. MAX.

GEMINAS BEATI PETRI CATENAS CELATO INCLUSIT ARGENTO

POST GENERALEM SUI ORDINIS PRAEFECTURAM HUJUS ECCLESIAE ABBAS

D. JOANNES ALPHONSUS PUCCINELLIUS LUCENSIS

IISDEM CONFIDENS VINCULIS IN LIBERTATEM FILIORUM DEI ASSERENDUM

ANNO JUBILEI MDCL.

Hæc habui, quæ de Catenis S. Petri colligere unum in locum potui; atque iccirco volui perscribere, quo intelligerent omnes, vix, ac ne vix quidem, ulla esse monumenta Sanctorum hominum, quæ tantam, & tam vetustam religionem habuerint, quanta immenso tempore præditæ sunt Catenæ Principis Apostolorum.



FINIS.